

PIGNA (Giovan Battista)

CARMINA (2870 vers)

Le texte proposé ici est, avec quelques corrections, celui imprimé à Venise, chez Vincenti Valgrisi, en 1553.

IOAN. BAPTISTAE PIGNAE CARMINVM LIBER PRIMVS.

AD ALPHONSVM FERRARIAE PRINCIPEM.

C1_01 v.1 Luce, qua natum genitore mundi
 2 gentis humanae columen futurum,
 3 lucido reges adiere signo,
 4 solis ab ortu ;
 5 Luce, qua donis pariter supremo
 6 Rege terrarum superumque dignis,
 7 supplices illum coluere myrrha,
 8 thureque et auro ;
 9 nate monstrorum domitoris ad te
 10 mentis accedo genibus reflexis ;
 11 te colo nostrum columen, benigno
 12 Numine motus.
 13 Ac mihi cum sit pretiosius nil,
 14 spiritum quamquam tenuem putabis,
 15 spiritum sacro tibi sempiternum
 16 munere caeli.

AD IOANNEM SALVIATVM CARD.

C1_02 v.1 Describent alii maxima Caesaris
 2 magni Maeonio carmine proelia,
 3 non aptanda lyrae, sed gravibus modis
 4 grandi Calliopes sono.
 5 Et quae vel ratibus per mare gesserit
 6 vel turmis equitum, sive ferocibus
 7 Turcis oppositus, sanguine barbaro
 8 aequor dum fluit Africum.
 9 Seu Gallos animo cedere nescios
 10 nequicquam stimulans ; seu validus manu
 11 a Rheno ad fluvium perdere Visulam
 12 pugnantes populos sua.
 13 Me Salui decus Aonidum, juvat
 14 commixtum placidis dicere Lygidam
 15 nymphis, et citharam tangere pectine
 16 cantantem vacuum levi.
 17 Quod vulgus stolidum me fugientibus
 18 junctum Melpomene cernere si velit

19 sanctis luminibus : tu mihi Delphicis
 20 cinges tempora frondibus.

AD VINCENTIVM MADIIVM.

C1_03 v.1 Nec quales animae quibus
 2 sint notae indiciis, quaeque potentia
 3 ex sensu vigili et duce
 4 in formis variis exterioribus ;
 5 nec si pars melior cadat,
 6 cum lapsu cecidit corpus in ultimo,
 7 quaeras disserere. Ad leve
 8 nunc mentem studium flecte gravem Madi.
 9 Nunc imbrues gelido spuit
 10 regnorum dominus Martis ab aere.
 11 Nunc pellenda mero nivis
 12 concretae glacies, igneque libero.
 13 Ad Cynthi propera lares.
 14 Hic Vulcanus adest, et pater Euhyus.
 15 Hic dulces socii canunt
 16 molles versiculos, quos dat Etruria.
 17 Huc quaeso, huc ades optime
 18 aetatis sapientum istius omnium.
 19 Hic te pocula, te focus,
 20 hic te Musa manet Lydia Cynthii.

AD BARTHOLOMAEVM CAVALCANTIVM.

C1_04 v.1 Cavalcanti, animae Socratae qui penitus sciens,
 2 et qui Pontificis maximi ad Arcana vocatus es,
 3 seu magnus studiis nobilibus te retinet Plato ;
 4 seu Paulus propriis quae tibi curanda negotiis ;
 5 ne Pigna interea mente, precor, decidat e tua.
 6 Ne pellas animo illum minimum has ob species graves.
 7 Sic rerum tibi causae pateant, sint licet arduae.
 8 Sic Romae domino quidquid agis perplaceat tuo.

DE ROMVLO AMASAEO.

C1_05 v.1 Nunc arte plectri dic age Romulum
 2 nunc eminentem sidere Julio,
 3 o barbiti quae temperabas
 4 Aeolii strepitum camena.

CAM.

5 Pulchrae ipsa mendax, veraque misceo
 6 falsis eorum quae sine gloria.
 7 Quid propria virtute clarum
 8 hunc fidibus referam sonoris ?
 9 Erexit urbem Romulus Attica
 10 praestantiorem viribus imperi.
 11 Hic scripta Graecorum Latinae.

12 Reddidit inferiora linguae.

AD HERMODORVM PHILIPPIVM.

C1_06 v.1 Quid Hermodore Portus hic agit tuus
 2 optimus et socius quondam Camilli Julii.
 3 Docti Camilli Julii, et comes omnium
 4 qui Latii eloquii Graique fontes hauriunt.
 5 Opesne tractat Tullii, anne copias
 6 divitis Hermogenis oratione candida ?
 7 Portum o beatum, sed beatos o simul
 8 Oenotriae populos et patriam magis meam.
 9 Achaicas tollit cadentes literas
 10 portus, et Ausoniam lingua perornat Gnosia
 11 tellure Gnosia tamen studio Attica.
 12 Nec minus arte sua Remi papyra sarcinat,
 13 furore saevo dissipata barbarum,
 14 officioque pio nomen lucratur Itali.
 15 Hunc Hermodore mutua molestia
 16 surpuit alta tibi diae Renatae regia.
 17 Jactura magna civitatis haec fuit.
 18 Ah male dispereant aulae potentum quaelibet.
 19 Superba regum conteruntur limina.
 20 Omnibus ambitio latet sub imo pectore.
 21 Virtute namque nobili conjungitur,
 22 nec vicio leviter potest pudendo dividi.
 23 Tenemur aurea libenter compede.
 24 Et placet incidere dulces in aegrimonias,
 25 ut inde dicant : o fidelem servulum,
 26 hic mala quae domini causa paratus perpeti ?
 27 Hic gratus, hic primus frequentat atrium.
 28 Praeterit en, genua manu reflecte supplici.

AD ANDREAM ALCIATVM.

C1_07 v.1 Ergo tuum morbo jactatum corpus iniquo
 2 nunc, Alciate, aduritur febris ab igne gravi ;
 3 qui nequit extingui medica virtute parumper,
 4 vel maxima cura tua, vel juvenum precibus.
 5 Assiduis juvenum precibus beneolenteque ture,
 6 ut te supremi sublevet dextra benigna patris.
 7 Te lugent omnes juris legumque periti,
 8 Ticinus ipse flebilis, flebilis unda Padi.
 9 Tu leges, tu jura potens purgare, nefando
 10 quae jam inquinavit seculo foetida lingua Scythaee.
 11 Et varia indoctae congesta volumina turbae
 12 ante ora mille gentium frangere voce gravi.
 13 Civilis studii o interpres maxime salve,
 14 salve, Alciate, temporis gloria vive tui.

AD OCTAVIVM COGNOMENTO PATREM.

C1_08 v.1 Labitur hora brevis, rapiturque volucribus alis.

2 Fugatur a die dies celerrime.
 3 Labitur aetas nostra simul rapiturque fugata,
 4 trahente sole tempus igneis rotis.
 5 Nec nos Octavi sapientia liberat ulla
 6 ab imminente Minois periculo.
 7 Multa tamen longam ducunt animalia vitant.
 8 Homo ortus altero senescit hespero.
 9 Et licet ex scriptis se in postera saecula condat,
 10 nec is frui potest inane gloria.
 11 Quid mihi, si de me exiguum in cinerem converso
 12 Latini et Attici suprema praedicent ?
 13 Ad mensas dabitur sacras accumbere divum,
 14 ubi ipsa erunt soluta morte corpora.
 15 Hoc satis est, adeo ut penitus sit fama perennis
 16 labore parta negligenda nominis.
 17 Mens superis intenta, cibis non pascitur isto
 18 ab orbis infimi luto fluentibus.
 19 Si curis igitur nimiis, sudoreque longo
 20 nihil parare possumus superstites,
 21 quid Pater Octavi te sic noctesque diesque
 22 librorum in omnium volutione maceras ?
 23 Quid frustra terimur ? Quid si dant stamina Phoebo
 24 quod occidamus occidente crastino ?
 25 Vivamus, cras fila colo pendentia Clothus
 26 furente dextera secabit Atropos.
 27 Vivamus, quaesita cadent cum lumina nostra
 28 sopore noctis opprimentur ultimae.

AD HERCVLEM FERR. DVCEM IIII.

C1_09 v.1 Quae vera proli gloria Atestiae,
 2 quae plena laudum munera, ni tua
 3 nunc Hercules virtute rarum
 4 ingenii specimen dedisses ?
 5 Princeps enim Desiderii agmina
 6 frangens, et una militiae sciens
 7 ubertus hostis barbarorum,
 8 semper honos sobolis decusque.
 9 Qui possidebant imperium Insubrum ;
 10 qui finibus Berringarium Italicae
 11 cum filio trusisse fertur,
 12 connubio satiatus Aldae :
 13 qui tunc superbos Romulidas suo
 14 Othone salvo perdidit incola
 15 Germaniae ; qui regna missis
 16 constituit sibi magna primis ;
 17 qui pace servavit populum, licet
 18 in proelio natus fuerit ferox
 19 illius alter, et Matildis
 20 in thalamos properavit alter ;
 21 quique Aenobarbum templa relinquere
 22 divum coegit, quique alias suis
 23 conjunxit urbes, non recusans
 24 nobilium titulis honores ;
 25 et qui occupatis gentibus Umbriae

26 Vilumbrum habebantur merito duces :
27 gessere cuncti ubique cuncta
28 perpetuis memoranda fastis.
29 Immaniorem fluctibus Adriae,
30 et comparandam Tartareae ferae,
31 furore vastantem manuque
32 Italiae populum cadentis,
33 quod quartus armis diruit Actius,
34 et Federicum stravit humi prius,
35 Ferraria centumque castris
36 munere Pontificis potitus ;
37 ejus labores carpere lividae
38 obliviones non poterunt. Neque
39 sunt fratri illius silenda
40 terribili reparata ferro.
41 Cum dissipatis hostibus impulit
42 poenas Celani sumere principes.
43 Omnesque Picenos subegit
44 imperium retinens Isauri.
45 Et fama nunc splendesceret illius,
46 quem elevit olim Parthenope, nisi
47 raptus repentina fuisset.
48 Sic quoque nocte micat serena
49 aestate fulgor, nixque micat. Coma
50 sic saepe Phoebus nascitur aurea,
51 sed ortus atque extinctus idem,
52 nube polum subito occupante.
53 Ast imperavit qui Mutinensibus
54 aetatis exsistens tenerae feris,
55 Princeps vocatus is tenebat
56 dum Regium dictione lata.
57 At qui tenebant quae loca nomina
58 Ponto dederunt Italiae alteri :
59 at visus una sorte laeta
60 qui dominus puer atque miles ;
61 actique qui mox fraudibus irritis
62 saevissimum non ante domabilem,
63 et impium regno tyrannum
64 atque anima spoliavit armis ;
65 non noctis ignoti tenebris erunt.
66 Hi nam per undas irremediables
67 nec navitae cymbam, nec Orci
68 Taenarias tetigere fauces.
69 Primi ducis nemo negat inclytum
70 nomen, quod is semper placida suas
71 servaverit gentes quiete,
72 quod populo fuerit benignus.
73 Quam vicit omnes munificentia,
74 pugnaeque cura maximus Hercules ?
75 Quae signa, quae vexilla cunctis
76 explicuit Calabrisque nota ?
77 Sic fortiter post aligerum gravi
78 clava leonem pressit ; et optime
79 extruxit urbem latiorem,
80 ut patriae pater inde dictus.
81 Hinc ortus est qui non equitum piger

82 vexare turmas, cujus in omnium
 83 sunt ore facta omnes per oras
 84 marmoreis patefacta signis.
 85 Ut prorsus Hispanos reliquos duces
 86 mittens ad umbras saepe fugaverit
 87 multos, licet per quam potentes,
 88 consilio validaque dextra.
 89 Ut milites in sanguine Julii
 90 virum atque equorum clade nataverint
 91 magna, utque Gallus vicit ejus
 92 auxilio prope victus omnes.
 93 Suspensa templis Hippolyti sacris
 94 magni tropaea ex hostibus indicant,
 95 quae bella non semel leguntur
 96 carminibus celebrata vatum.
 97 Namque incolentes indomitas aquas
 98 ivit, velut cum defluit alveo
 99 rex fluminum latos in agros
 100 cum segetum pecudumque strage.
 101 Tollenda non sunt laudibus illa quae
 102 qui Galliae regem sequitur gerit ?
 103 Et Caesari quae junctus istis
 104 temporibus facit arte belli ?
 105 Tollenda magnis. Sed tamen omnibus
 106 clementia Alcide tua maxime
 107 laudanda, quod claram tuorum
 108 progeniem super astra vexit.
 109 Te nam insecutus saepe ferociter
 110 Mamphron, nec aequa, denique captus est.
 111 Et morte non affectus a te,
 112 te gladio peritus ipse.
 113 O sole qua solis radii plagas
 114 mundi colorant optime principum,
 115 cujus volavit fama ab Indis
 116 gentibus hesperias ad oras.
 117 Ut cuncta caeli pulchra licet, tamen
 118 non pulchra si non Cynthius inferat
 119 lumen : tuorum sic placebat,
 120 te sine non placitura proles.
 121 Quis facta magni fortia Caesaris,
 122 quis bella vates tot sociaverit
 123 quae gessit ille pectinique
 124 Aeolio fidibusque Lesbi ?
 125 Quod digna magno sint sonitu tubae,
 126 testis ferox gens Galliae et Africæ
 127 per Bagradae et Ticini arenas
 128 dum fugit haec manet illa victa.
 129 Testes et agri et prata cruxibus
 130 ad Tibrim ad Arnum pinguia militum.
 131 Et decoloratis in undis
 132 membra virum mutilata ferro.
 133 Testes ad extremum oppida Belgium
 134 concussa tamquam fulminis ictibus,
 135 et proeliantes ut leonis
 136 dente fero lacerati ab hoste.
 137 Testes secundis fana laboribus

138 vastata divum qui nihil audiunt
 139 ruente Lepti, et non procellis
 140 sed facibus domitae triremes.
 141 Testesque Rhaeti et Vindelici prius
 142 et quae sab ursis littora frigidis.
 143 Testatus est hoc Saxonum dux
 144 Albis aquas prope sic locutus.
 145 Ut me videtis condicionibus
 146 o me secuti deterioribus,
 147 sicque occidit spes omnis eheu
 148 Lantgravio renuente pugnam :
 149 ut militis si dextera Palladis,
 150 et quisque surgens centimanus foret,
 151 cum lacrima matris recenti
 152 ipse iterum caderet peremptus.
 153 Nobisque nec rideret adorea,
 154 nec ferre possent auxilium amplius
 155 quam corda nobis saeva bellis,
 156 saeva animo, impete saeva primo.
 157 Invicti ab hujus vincimur alite
 158 Jovis ministro, cedite cedite
 159 Germania cadente cuncti
 160 imperio domini relicto.

DE BELLO GERMANICO.

C1_10 v.1 Qualis petens nidos aquilae draco
 2 cum verticem jam tangeret arboris,
 3 inque ova serpens imminebat
 4 frangere, raptus ab ungue curvo
 5 surgit reluctans, et caput erigit,
 6 atque implicatus tentat inutili,
 7 cauda redire primum ad antrum,
 8 sed proficit nihil inde captus :
 9 hostis tremendus cernitur Austriae,
 10 postquam ille Quinti robore Caroli
 11 virtute bellica eminentis
 12 nunc cecidit graviore lapsu.
 13 Hoc dulce tantum quod quoque Caesaris
 14 sensere reges proelia maximi,
 15 cum vel fugati vel retenti
 16 militiam tremuere diram.
 17 Hoc dulce tantum, quod superabitur
 18 a rege forti et jam superis pari,
 19 qui regna vexillis superbis
 20 Hesperiae tenet utriusque.
 21 Quicumque Nilum, et qui Tanaim bibunt
 22 hunc proferentem nomen in ultimos
 23 fines adorant, nec sat hic est
 24 sed colit hunc novus alter orbis.
 25 Quae prata, qui amnes, quae aequora Caesaris
 26 ignara famae et nominis inclyti ?
 27 Quis nescit Alcidae columnas
 28 ulterius positas ab illo ?
 29 Delubra vero non capiunt eis

30 figenda tot signa illius, ipseque
 31 et comparabit plura, namque
 32 in rigidis juvenescit armis.
 33 Illum nec austus nec mare Punicum,
 34 laesere quondam fluctibus horridis.
 35 Nec Pannoni in campo protervis
 36 millia multa hominum sagittis.
 37 Nunc lenis illi est, qui prius aeris
 38 expertus ignes per juga perfidi
 39 semper siticulosa Poeni,
 40 saeva poli glacialis aura.
 41 Illi quiritum gens fera jungitur.
 42 Nunc namque caeli vis eadem Itali,
 43 quae victa, victrix, quae pilisque
 44 missilibus metuenda et hastis.
 45 Certantis hujus saepe per agmina
 46 non indecoro terga periculo,
 47 sed horrida invicto videntur
 48 pectora pulverulenta cursu.
 49 Hispana cunctis quae tolerantior
 50 sic ferre saevo bella negotio,
 51 ut vincat hostes, quae laboris,
 52 quae patiens nivium atque solis,
 53 augusto adhaeret ; saepeque consili
 54 vi perpotens in gramine Martio,
 55 et pervicax sudore perseque
 56 assiduo innumerar phalanges.
 57 His ille cunctos jam sibi subicit
 58 quocumque tendat. Nam sine proelio,
 59 vel supplicantium absque sceptro
 60 claustra ruunt patefacta regum.
 61 Vel si repugnant historiam illius
 62 augere cogit tristia funera,
 63 et lugubres casus eorum
 64 claustra petens inimica ferro.
 65 Istis tot exsultantibus aspera
 66 tela, et tot enses exitiabiles
 67 contra coronatas volucres
 68 inque feras acuisse rubras,
 69 en maximum tandem gemitum intulit :
 70 en frena eorum dura licentiae
 71 injecit ante non repressae,
 72 nec manibus validis retentae.

AD FERDINANDUM TOLEDANVM

C1_11 v.1 Tu Federici gloria Baetico
 2 clari tropaeo sanguinis inclyta
 3 Fernande Princeps principum Albae,
 4 tuque comes domini decusque,
 5 semper vocandus pars eris omnium
 6 victoriarum maxima Caesaris,
 7 dum pontus Africæ tumescet,
 8 dum refluxit Rhodanusque et Ister.

AD CYNTHIVM IOANNEM BAPTISTAM GYRALGUM.

C1_12 v.1 Pegasides secutus
 2 ore quondam cum biberem saepe Helicona pleno,
 3 credere forte nulli
 4 id mihi vates poterunt, interitura scripsi
 5 carmina saepe Cynthi,
 6 fontis a potu nitidi me removente Phoebo,
 7 nunc Semeles amator
 8 filii, magnis cyathis cymbia multa tracto.
 9 Et simul ipse grata
 10 Delio longos soleo condere voce soles.
 11 Ad calices alumni
 12 plura Silenus cecinit sic memoranda semper.
 13 O Jovis igne claram
 14 edite in lucem soboles fulmine clara patris.
 15 Cui caput est corymbis
 16 semper intonsum ac hederae frons redimita ramo.
 17 Quique libenter audis
 18 cymbali dulcem strepitum, cernere laetus agros
 19 sub crotalo moventes
 20 saltibus crebris satyros, dum tremit icta tellus.
 21 Quem Bromium canentes
 22 cornubus mixta querulis per nemora alta divum
 23 voce tenere possunt.
 24 O tuae cingens viridi tempora fronde vitis,
 25 o pater o Lyae,
 26 Liber oh euhoe, validis o metuende thyrsis ;
 27 te sine nil labores
 28 rustici, nil vis Cereris, nec Venus alma grata est.
 29 Te sine nil juventa,
 30 nil voluptas, Naiades te timuere nymphae :
 31 te coluere Fauni.
 32 Tu tenes undas pelagi, tu quoque flectis amnes,
 33 tuque potens deorum
 34 atque Silvanum, superis fundere nectar aptus,
 35 atque furore summo
 36 ferre bacchantes, furiis non agitatus ullis.
 37 Pabula tu coloras
 38 tuque rerum perpetua semina lege servas
 39 arboribus virorum
 40 pampinos tu capripedum sufficis atque vires.
 41 Has manibus maritas
 42 tu tuis : replens calathos uberiore vino,
 43 cum dominatur orbi
 44 brachiis, et sideribus Scorpius ardet albis.
 45 Tu placida quiete
 46 asperas gaudes hominum dissoluisse curas,
 47 ac acuisse mentes.
 48 Dura quamvis ingenio das penetrare cuncta.
 49 Tu requiem vel addas.
 50 Vel leves turbas, animo robora semper affers.
 51 Tu facis arte Osiri
 52 ut tua summus valeat quisque poeta dici.

AD PAVLVM MANVTIVM.

C1_13 v.1 Ne, Paule, credas displicitura, quae
 2 dignus Gyraldus nomine Apollinis
 3 Etruriae princeps ad oras
 4 detulit Aonio furore,
 5 Tirynthium cum reddidit heroa
 6 fortem et superbum carmine Lydio.
 7 Non si ferum descripsit olim
 8 Thesea qui ad fluvium ortus Elsam ;
 9 nec si soluta lege Ariostius
 10 jam Tusca nobis ante poemata
 11 reliquit (et si fabulosa)
 12 Ingenii monumenta magni,
 13 is detinebit cantibus ipsius
 14 aures minus nostras ; neque secula
 15 vincent minus quam multa. Verum
 16 quae in tenebris prius astra lucent
 17 nascente Phoebo lumine candido
 18 vix inde possunt fulgere paululum.
 19 Nec inter indoctos priores
 20 quam minimum celebres fuere.
 21 At Cynthio post versibus aureis
 22 splendente eorum gloria concidit.
 23 Nec <nunc> profectum me putas haec, (vers lacuneux)
 24 sed genitum Jove nocte longa.
 25 Ditis recessus jam penetraverat
 26 campi per auras Elysii aetheris
 27 spectans beatas gentis umbras
 28 Amphitryoniades futurae.
 29 Et magna Achillem prospiciens tuba
 30 insignem Homeri, et pectore Vergili
 31 Aeneam eburno, coepit aegra
 32 voce suum lacrimare fatum.
 33 Sed vate dignum se quoque Cynthio
 34 cum post modum vidit, gemitum premens
 35 et laetus adjuravit illi
 36 caelicolas genus unde ducit :
 37 quod solus Augiae puer audierat.
 38 Quod pellis ut numquam violabilis
 39 qua cingitur (leone namque
 40 tunc Nemees humeros amictus)
 41 sic nulla quamvis ferrea et impia
 42 delebit aetas scripta quibus canet
 43 illum atque prolem ejus, sub aequo
 44 Herculis imperio secundi.
 45 Et facta quam sunt illius omnibus
 46 jucunda, dixit per Stygios lacus,
 47 ejus poetae dicta tandem
 48 non aliter fore grata cunctis.

AD M. ANTONIVM FLAMINIVM.

C1_14 v.1 Nympharum decus, o Flamini Apollinis

2 cursum qui rapidi carmine Tibridis,
 3 spirantemque morari boream potes ;
 4 nec non praecipitem notum.
 5 Qui lenis cithara, sint licet asperae,
 6 tigres, atque ferarum genus omnium ;
 7 Latinoque movens pectine barbaros,
 8 mulces corda virum impia.
 9 Si sic dum canis et sistere flumina
 10 possis perpetuo, et nubila tergere
 11 cum venti celeres undique perstrepunt,
 12 et sedare animos probe,
 13 plectro tange lyram ; dicque modos quibus
 14 crudelis nimium saevaque Lygida
 15 sic aures modo amicas satis applicet,
 16 ut jam sit mihi lenior.
 17 Nam si feceris id, te mage redditum
 18 cognosces celebrem, teque magis pium ;
 19 quam si versiculis arteque barbiti
 20 placasses rabiem maris.

AD BARTHOLOMAEVM RICCIVM

C1_15 v.1 Ricci, quid o quid fletibus irrigas
 2 vultum molestis ; funera Flamini
 3 acerba cogitans fuisse,
 4 et nimium lacrimosa cunctis ?
 5 Cur tot modum nullum gemitus habent,
 6 umquam nec absunt, sed tibi maxime
 7 surgentibus surgunt tenebris,
 8 et redeunt redeunte Phoebo ?
 9 Casum parentis Tantalides fleant,
 10 manetque semper per Lapithum genae
 11 humor, nec umquam sint quieti
 12 sed Phlegyam Tityonque plorent.
 13 Se maceret cari nece filii
 14 rex asper in ventos dominus. Suis
 15 mors Imperatoris molesta
 16 militibus sitientis aurum.
 17 Hos namque vexant Tartara perditos,
 18 solum videntes hi Stygias faces
 19 doloribus certis premuntur,
 20 suppliciis cruciantur omnes.
 21 Terrena linquens Flaminius loca
 22 ad caelites e carcere noxio
 23 volavit, et sedes beatus
 24 sidereas petiisse gaudet ;
 25 gaudet suum se cernere Davidem
 26 qui libat illi basia nectare
 27 vultu sereno dulciora,
 28 ambrosiae madefacta succo.
 29 Gaudet suum se tangere barbiton
 30 ad quod Latino carmina pectine
 31 canens Palestinos solebat
 32 ingenio penetrare versus.
 33 Rex monstrat illi quae superum loca,

34 quae fixa caelo sidera, motibus
 35 quae pulsa, quae dicenda voce,
 36 quae citharae celebranda chordis.
 37 Ambo Deum sic tollere laudibus
 38 docti ; sonoris et fidibus lyrae
 39 hunc rite concinunt, et ipsum
 40 ante patrem spatiantur ambo.
 41 Quod si supremis hic fruitur Dei
 42 templis in illo vivus, et aspicit
 43 quae noverat, si laetus hinc est
 44 hinc fugiens procul esse tandem :
 45 cur ista, Ricci, te exanimat dies
 46 mens tristis omnes nescia ponere
 47 tot mollibus modum querelis ?
 48 Cur socium periisse ploras ?

AD POMPILIVM AMASAEVM.

C1_16 v.1 Nunc est dolendum nunc cruciatibus
 2 urenda nobis pectora Pompili ;
 3 nunc flebili maerore pressi
 4 signa animi referenda voce.
 5 Namque est relatum nunc mihi Riccium
 6 nostrum sua cum conjuge, parvulo
 7 cum filio curru ruente.
 8 Eridani cecidisse ad undas.
 9 Quod lacrimis nil proficientibus
 10 orantur illis numina caelitum.
 11 Quod maxima fractis equum vi
 12 versa rotis rapitur quadriga.
 13 Heu o acerbo, heu o miserabili
 14 jactate casu quae tibi, quae tibi
 15 mens languido tuum videnti
 16 in puerum properare fata ?
 17 Qui dulce matris nomen inaniter
 18 dum saepe profert, et rapidissime
 19 dum tractus infelix precatur
 20 semianimi genetrice divos ;
 21 quos ipse fundis tum gemitus, tuae
 22 instare cernens exitium domus ?
 23 Hostiliique comparanda
 24 fata (nisi mage saeva) Tulli ?
 25 Tu vero et uxor non aliter gemis
 26 quam turtures labente haliaeto ave
 27 Neptunia in pullum, cui eorum
 28 auxilio nequeant adesse.
 29 Deflent suum quod pignus ab alite
 30 jam jam feroci dilacerabitur.
 31 Quod occidet volucre saeva
 32 praesidium prohibente rostro.
 33 Plorant et alis mox strepitantibus
 34 se se inter unguis illius indicant
 35 plumam relicturas, et aethra.
 36 Hinc trepido volitare tentant.
 37 At si traheris tu pater omnibus

38 deflende praeceps in fluvium Padi,
 39 non natus istas nunc in undas,
 40 sed genitor Phaethontis ibit.
 41 Is namque caeli lumen et aurea
 42 qui illustret orbem lampade solus est :
 43 tu splendor unicus Latinis,
 44 tu Ausoniae decus omne, Ricci.
 45 Te, si peribis non pereas licet,
 46 et silvae et amnes murmure languido,
 47 te voce semper lacrimosa
 48 Ausoniae populi vocabunt.

DE ACHILLE BOCCIO.

C1_17 v.1 Intermissa, novis arte recondita
 2 naturae ratio nominibus, patet
 3 nunc virtute viri, et carmine Felsinae
 4 qui doctae decus inclytum.
 5 Nam quae Caelicolum vis regat infima,
 6 quae terrena notae sint superum status,
 7 et nostris animis qui vigor insitus
 8 quod vitae genus optimum.
 9 Quae rerum pariter causa sit omnium
 10 expressa atque latenti sub imagine,
 11 contemplanda sacris vatibus indicant
 12 Bocchi symbola Achillei.

AD SEBASTIANVM CORRADVM.

C1_18 v.1 Non semper Rhodope nives
 2 turbato Boreas illinit impetu.
 3 Non saevi strepitus noti
 4 Hrycanas rapidus concutit arbores.
 5 Non in Sarmatico sinu
 6 consistunt gelido flumina frigore.
 7 En spirant Zephyri leves.
 8 En rident variis undique floribus
 9 campi, en dum redeunt aves
 10 ornantur viduae frondibus aesculi.
 11 Et junctus Veneris puer
 12 laetatur choreas ducere, gratiis.
 13 Tu, Corrade, tamen tui
 14 nec ponis studii pondera maximi.
 15 Nec vita cupidus frui
 16 curas ex animo pellere cogitas.
 17 Sed semper cor edunt tibi
 18 mordaces nimium sollicitudines.
 19 Sed desiderio magis
 20 discendi afficeris, doctior in dies.
 21 Quot Martis populum feris
 22 Poeni militibus vertere funditus
 23 tentarint quoties, quibus
 24 illos Scipiadae perdere proeliis,
 25 et quorum validi manu

26 tutari patriam, desine quaerere.
 27 Nunc Chii veteris cado
 28 potandum medio de die amabili.
 29 Spargantur ter humi rosae.
 30 Tellurem quatias ter pede libero.
 31 Ad testudinis aureae
 32 nervos, Melpomenem dicere te juvet.
 33 Quod curis cor edacibus
 34 si nutris, nec eas dissipet Euhius ;
 35 nec dulces citharae modi,
 36 commixti rosei ruris amoribus :
 37 ast illas foveat chloe
 38 mellitis oculis igneque mutuo.
 39 Me vero facibus suis
 40 non saevis itidem Lygida torreat.

AD FERANTVM TROTIVM.

C1_19 v.1 Non semper undis mollibus aequora
 2 labantur aut ex aethere lucido
 3 sol candidam ducit diem, nec
 4 sidereo micat igne luna,
 5 Ferante Troti. Sed placidum minus
 6 ventis secat cautus mare navita,
 7 caeloque pastores sereno
 8 nubila jam properare credant.
 9 Fortuna sic mortalibus annuit
 10 vultu benigno prospera, post modum
 11 illos modis urgens iniquis
 12 terribili metuenda fronte.
 13 Raptor pueriae dum Priami patris
 14 felix erat vi fulminis occidit.
 15 Caesoque qui princeps Achille
 16 est furoris agitatus atris.
 17 Regem manus saevis Agamemnona
 18 in poculis percussit adulteri,
 19 cum victor e Troja superbus
 20 in patrias rediisset aedes.
 21 Qui nomen est Magni juvenis grave
 22 lucratus orbis jam decus interit.
 23 Ut corruat Carthago miles
 24 tollitur Hannibal ter altus.
 25 Non ipse tollar, divitias colet
 26 qui semper ambit mente superbiam.
 27 Me sorte contentum mea auri
 28 sacra fames nihilum movebit.
 29 Nam saepe vidi vere novo nives
 30 solvente Phoebo flumina turgida,
 31 aestate torrida pusillis
 32 virginibus, puerisque sicca.

AD IVLIVM BOIARDVM.

C1_20 v.1 Dum Daphnim calamo fistula Dorico

2 pastoris Siculi, musaque Mincii
 3 Tibrini tenera patris arundine,
 4 contendunt pariter tollere laudibus,
 5 custodes hominum non pecudum indicant.
 6 Nos quamquam levius nunc juvat Hercule
 7 invicto genitum principe Atestio,
 8 Alphonsum numeris dicere Lydiis,
 9 dum summi canimus Pana Jovis decus.
 10 Tu post Pana mihi primus, ad Arcadem
 11 te, Juli, dominum verte, et imaginem
 12 expressam aspicias illius incitam
 13 non magno studio, non gravibus modis.
 14 Nam ni decipior forte teneberis
 15 hoc quamvis humili carmine rustico.
 16 Regum sic animos corde sub intimo
 17 urgenti nimium sollicitudine
 18 et cura populi et gramine martio
 19 defessos, rapidi murmura fluminis,
 20 et valles gelidae et prata virentia
 21 naturae variis picta coloribus,
 22 et silvae nemorosae recreant magis,
 23 quam turres Pario marmore candidum
 24 splendentes nitidoque aere Corinthio,
 25 quam longo artificum tecta negotio,
 26 quam constructa foris oppida ludicris.

AD ALPHONSVM FERR. PRINCIPEM.

C1_21 v.1 Inclyta te quondam dum magne Alphonse tenebat
 2 urbs tua quam placide,
 3 laetus erat nitideque fluens ludentibus undis
 4 haec Padus ante loca.
 5 Nympharum et ripae cantu lusuque virentes
 6 saepe dedere sonum.
 7 At tibi cum placuit post moenia linquere nostra
 8 his et abire locis,
 9 dulcia quae nobis hinc te quaecumque secuta
 10 cum subito fuerint :
 11 floribus atque herbis et nostro flumine sicco
 12 hic nisi morbus erat.
 13 Nunc te laeto tantum, et tandem maxime princeps
 14 te redeunte domum
 15 omnia nunc rident, redeunt nunc omnia laeta
 16 et fugit ipsa lues.
 17 Defluit ac dominum noscens in aequora major
 18 labitur Eridanus.
 19 Gratia nunc geminis conjuncta sororibus alma
 20 ter pede pulsat humum.
 21 Et tibi nunc hilares occurrimus, accipiunt te
 22 et pater et populus.
 23 Ergo tuo carus genitori, carus et ipsi
 24 cum populo redeas,
 25 o decus, o patris salve lux maxima et urbis,
 26 dulce decusque meum .

AD ALOISIVM HERCVLIS DVCIS F.

C1_22 v.1 Magne puer, si mecum optas ascendere montes
 2 quondam petitos Herculi,
 3 tu mecum myrtos, hederas, virgultaque carpes
 4 vati sacrata Delio.
 5 Et folia herbarum benevolentia et aurea mala
 6 forti legenda dextera.
 7 Tu mecum vario cursu labentia aperto
 8 spectabis orbe sidera ;
 9 et sinuosa poli revoluta volumina motu
 10 adverso ab axe duplici,
 11 sic virtute tua sancto sic munere mentis
 12 heroe digna gesseris.
 13 Qualia testantur majores, qualia nosti
 14 ex patre et ex affinibus.
 15 Nec de te arbitrium facient fera fata, nec anni
 16 aeternitate condito.

AD FLORAM.

C1_23 v.1 Diva, quae leni zephyro favente
 2 sufficis flores, foliis humumque
 3 pingis, et laetas segetes quotannis
 4 reddis et arva.
 5 Qua nihil nymphae sine nil Diana,
 6 dulce nec quidquam, sine qua nec ipse
 7 est amor carus, neque cara nobis
 8 blanda voluptas.
 9 Omnium qui flos modo Salviatum
 10 quem sinu laeto retinet fovetque
 11 Faesule priscis celebrata Tuscis
 12 quae tibi grata
 13 redde jucundum, incolumenque serva.
 14 Redde nunc campos iterum virentes,
 15 poscit ut dulcem nitidamque tecum
 16 ducere vitam.
 17 Sic tibi semper faveat Favoni
 18 aura sic semper roseum tibi ver,
 19 et tibi incendant populi frequentes
 20 tura Sabaea.

AD PANA.

C1_24 v.1 Dive silvarum nemorumque custos
 2 montium princeps decus o colendum
 3 omnibus semper pecorum magistris
 4 carmine dulci
 5 si gregis pastor tibi Salviatus,
 6 collium cultor fueritque septem,
 7 nostra pendebit tibi sacra semper
 8 fistula pinu.

AD CYBELEM.

C1_25 v.1 Caelitum cunctis veneranda mater
 2 si tua causa vice Salviatus
 3 rite nunc fungi poterit deorum
 4 numine sancto,
 5 pinus haec esto tibi consecrata
 6 quae novis semper nucibus renidet,
 7 nec minus saevi Boreae pavescit
 8 nec Jovis ignes.

AD LYGIDAM.

C1_26 v.1 Quid fles luminibus, Lygida, me tuis
 2 quem perdis : mea te funera non movent,
 3 quod me morte perire
 4 indigna miseram vides.
 5 Ne nullis placeat tollere laudibus
 6 te, me tu metuis perfida mortuo.
 7 Exstinguaris et ipsa
 8 me exstincto pariter tuo,
 9 quae accessit Paridis navibus Ilion
 10 sic magno gemitu fleverat Hectora :
 11 non quod caesus Achille
 12 is causa foret illius,
 13 at quod non Phrygiis grata foret, neque
 14 ullius manibus militis amplius
 15 sese credere posset,
 16 nec vita placide frui.

LYSSA BOCCATII CANTILENA.

C1_27 v.1 O divae soboles Cypridis, ignibus
 2 illum accende tuis urere qui satis
 3 me quondam potuit, cui nimium timens
 4 ac ardens nequeo dicere, toteor.
 5 Me terror superum cernere duplicem
 6 seu junctus Veneri sive Deo, velis.
 7 Descendasque domo caelicolum audiens
 8 me te rite vocantem, precibus meis
 9 nunc aures adhibe, mox referas ei
 10 cujus dispereo non face mutua,
 11 illum quod cupio quod mihi cor rapit.
 12 Quod mortem metuo linquere nescia
 13 vexantes animum sollicitudines.
 14 Illi haec sint penitus cognita te obsecro.
 15 Tu matris geminae gloria, pectora
 16 ussistis facibus nunc mea splendidis,
 17 et non displicuit nunc adamantino
 18 ac summo pariter jungere me jugo,
 19 sed semper similem fata timentibus,
 20 sed numquam validam dicere quomodo
 21 vinclis detinear semper aheneis.

22 Quod si quod taceo non tacitum foret,
 23 qui prorsus miseram noscere me nequit,
 24 me nota gemeret non sine lacrimis.
 25 At cum me domitor presseris omnium,
 26 nec gratum fuerit tradere qua via
 27 monstrem quod propero finis ad exitum :
 28 haec illum volucer tu pete nuntians
 29 quem turmas equitum ducere principem
 30 insignem clipeo currere et aurea
 31 hasta conspiciens, vulnera pertuli,
 32 et flammis calido sanguine fervidis
 33 tunc arsi subito, sed mihi corculum
 34 nunc nunc in cineres vertitur aridos.

AD ALBERTVM LOLLIIVM.

C1_28 v.1 Deflebunt alii teneram procul esse puellam,
 2 nec placidam traducere vitam
 3 solliciti curis semper sub corde prementur.
 4 Optabunt sine fine miselli
 5 illacrimare, suum qualis Philomela relictum
 6 plorat Itym, nemora alta querelis
 7 replens, atque vocans, dum deflet ab ilice, natum.
 8 Tu, Toll, licet absit amata,
 9 ne tamen ipse gemas cupidus laniare capillos
 10 ut mulier, ne questibus ullis
 11 commoveas animum. Quod si componere motus
 12 ingentes sunt qui impete primo
 13 non validus, turbata tuos ne maceret artus
 14 perpetuo mens ipsa. Molestae
 15 tristitia tu pone modum. Tibi linquere tandem
 16 maerores sit cura, lyraeque
 17 te strepitus teneat ; saevosque Cupidinis ignes,
 18 atque animi mentisque labores
 19 dulci pelle mero. Rapta Briseide cuius
 20 ardenti flagrabat amore ;
 21 et tamen ad citharam conjungere carmina laetus
 22 sic socios affatus Achilles.
 23 Nos quamquam facie cernat fortuna minaci,
 24 o tristes in proelia quod vos
 25 victores nequeam magnos dux ducere vester,
 26 cum mea nobis femina desit ;
 27 his quoque finis erit : nam numquam perfida mater
 28 illam pollicita est reddituram.
 29 O variis mecum jactati casibus, istos
 30 jam potu finite dolores.
 31 Et caput impedit viridi inter gramina fronde
 32 quilibet, atque canat recinatque.
 33 Magnanimos etenim (mihi credite) turpe frequenter
 34 absentem deflere puellam.

AD IANVM VITALEM.

C1_29 v.1 Dominorum |latius| et orbis quibus Indi
 ('latius' est métriquement impossible)

2 quibus et Mauri humiles tura dederunt,
 3 decus altum penitus decidit atque imperium una.
 4 Ubi nunc tot sacra Romae monumenta ?
 5 Super offam validi quo Celadontis ?
 6 Bona quae ? Quo duce quaesita quod hic perpetuum armis.
 7 Studio solliciti divitiarum
 8 maria alta Icareis fluctibus usque
 9 trabe numquam tremefacta peragrant interituri.
 10 Tibi Vitalis erit vita perennis,
 11 tibi quae Musa beat juncta beato.
 12 Libitinae tua quae pars melior non data, vivet.

AD SEBASTIANVM MONFALCVM.

C1_30 v.1 Monfalce, dum seu pulpita Dorico
 2 quatris theatro, sive Corinthio,
 3 et risum adhuc non elocutus
 4 fronte moves lacrimasve sola.
 5 Conclamat altum scaena per atrium,
 6 cunctique plaudunt ; Theius artifex
 7 frangat tabellas, voce acuta
 8 jam sileat satyrus repressa.
 9 Nunc te perempto prospiciens sibi
 10 mortalis artem non satis ingeni ;
 11 quamquam sit intermissa, quamquam
 12 grata minus fuerit recepta,
 13 ad machinam se vertere cogitat.
 14 Nec erubescet, dura necessitas
 15 probanda reddit jam videri
 16 quae poterant vitiosiora.

AD DIDACVM PYRRHVM LVSITANVM.

C1_31 v.1 Et me carminibus tuis
 2 fecisti gemitus ponere flebiles,
 3 et sedare molestias
 4 vexantes animum non mediocriter
 5 sic fratres gemini ratem
 6 si forte ad miseram sidere lucido
 7 splendent, turgida concidunt
 8 quamprimum positis aequora fluctibus.
 9 Sic tolluntur in aethera
 10 obscurantque polum nubila candidum ;
 11 sed claro radianteque
 12 Phoebi diffugiunt undique lumine.
 13 O dulcis sonitus lyrae
 14 qui saevos hominum comprimis impetus.
 15 O quae Pierides juvas,
 16 non ingrata Jovi, non epulis Deum ;
 17 quam laudandus et aurea
 18 tollendus Cithara, qui tetigit novo
 19 te te pectine personans
 20 primus, qui sociavit numeros tibi.
 21 Hinc custos jacet impius

22 clausis luminibus virginis Inachi.
 23 Te quamquam vigil audiens
 24 liquit Tartareus limina janitor.
 25 Te pulsans rabiem maris
 26 qui placare potens, qui celerem Africum,
 27 qui cursus rapidissimi
 28 doctus praecipitis sistere fluminis ;
 29 cui quondam comites ferae
 30 cui silvae et lapides antraque montium ;
 31 a nullis domitum, neque
 32 motum Perithoi terribili manu,
 33 nec fletu Cereris, neque
 34 clamore aut precibus voceque supplici,
 35 Plutonem fidibus tuis,
 36 placavit recinens illacrimabilem.

DE HERCVLE FABVLA.

C1_32 v.1 Patre sub Andromedes sitiunt juga, fervidoque sole
 2 dumeta siccis langueunt in arvis.
 3 Nos tamen accendis pulcher magis Hercules ocellis
 4 quam luce terras imminent Phoebus.
 5 Te tenerum juvenes jam pectoris igne deperibant,
 6 te nunc et ardent virgines eumdem.
 7 At tu cur pariter non ureris ? Atque solus ipse
 8 potentiarum cur amoris expers ?

HER.

9 Inscie quam flagrer, torret me amor intimis medullis.
 10 Uror nec Oetes in rogo repostus.
 11 Alcides fueram, micat aurea pars Jovis superne.
 12 Sed feminae nunc est Hylas renata.
 13 Mille etenim postquam annos denique me pudenda purum
 14 concreta labes concremata liquit ;
 15 mille per Elysium mittor vagus, inde cum reverti
 16 me vult ad auras nuntius deorum,
 17 aspiciens quod non ardor meus est adhuc repressus,
 18 quamquam sub igni sit moratus atro ;
 19 in pueri corpus carum mihi sic jubente fato,
 20 virtute virgae me locavit aureae.
 21 Nec Lethaea bibi per flumina, sic enim molestum
 22 in corde flamمام duplicem vigere.
 23 Primae namque memor, nunc hanc quoque sentio nec umquam
 24 me persequentes defuisse vidi.
 25 Sic mea nymphis atque heroibus est jucunda forma
 26 ut ambigem ne subtraher sub illis,
 27 Herculis est vigor et nomen mihi maxime superbum,
 28 mihi est Hylae vita, et decor benigni.

AD HORARIVM MALEGVTIVM.

C1_33 v.1 Caelitum regem Ganymedis ardor
 2 torruit quondam Phrygiis in arvis.

3 Cynthium candens Hyacinthus ussit
 4 lumine saevo.
 5 Igne Sylvanus Cyparisson ardens
 6 arsit ardenti, puerumque raptum
 7 magnus Alcides domitor ferarum
 8 saepe vocavit.
 9 Troili casum, Priami parentis
 10 Ilion donec caderet tremendum
 11 barbaris summo Danaum furore,
 12 flevit Achilles.
 13 Flevit insanus Corydon Alexin,
 14 illius cernens numeros sonumque
 15 fistulae lenem calathosque duro
 16 spernere vultu.
 17 Perditae nobis procul este curae,
 18 hinc procul taetrae facis ite flammæ,
 19 ite Plutonis Stygios in ignes,
 20 ite sub undas.
 21 I nigras intra tenebras Cupido.
 22 I pete umbrarum dominos et Orcum,
 23 i pete obscuros Veneris recessus
 24 Tartara Ditis.
 25 Nos amatores fugiamus istos.
 26 Quod rogos si nos placet esse amori,
 27 torreat nostras potius medullas
 28 pulchrior ignis.
 29 Sordeant quorum removet decorem
 30 pluma cum tandem venit, atque compti
 31 decidunt crines, volitantque nusquam
 32 fronte capilli.
 33 Nos juvet molles tenerae puellæ
 34 dicere amplexus placidosque vultus,
 35 et modos omnes quibus illa blande
 36 volvit ocellos.
 37 Lygidae dulces repetita saepe
 38 poculis divum mihi dulciora
 39 basia, ad nervos citharae canamus
 40 dulcis Horati.

AD LYGIDAM.

P.

C1_34 v.1 Cur centum mihi basia
 2 non das, o animae praesidium meae ?
 3 Vis, ah vis miser occidam ?
 4 Heu, oh, dispeream Lygida si placet.

L.

5 Cur tu vita mea improbis
 6 me istis exanimas fletibus anxiam ?
 7 Nescis quod data sum tibi ?
 8 Ni sum ni penitus dispeream aedepol.

P.

9 Ipsos ne ergo neges mihi
 10 ampexus teneros, da rapidissime
 11 da, da, Lygida, nunc tuo
 12 collo jungere ne brachia candido.

L.

13 En dulci pete suavio
 14 labris purpureis, oraque mordeas.
 15 Me me cingere brachiis
 16 quid stas, in gremio nunc cape Lygidam.

P.

17 Adsum accedoque jam prope
 18 et flamas capio de tuo anhelitu.
 19 Atque aura nimis ignea
 20 uror pectore totus nimis intimo.

L.

21 Et cum sic ego torrear ;
 22 sic, o sic, amor una face mutua
 23 nos uras, placideque nos
 24 semper vivere, et una face Juppiter.

AD MVSAS

c1_35 v.1 Regis aeterni soboles decusque
 2 fontium divae nemorumque Pindi,
 3 quae datis vita sine sempiternam
 4 vivere vitam,
 5 cum datae a vobis fuerint sonorae
 6 Lesbiae chordae, viridesque frondes
 7 Delphicae, et cum sit data pulchra vestro
 8 Lygida Pignae,
 9 contegat quamquam brevis urna corpus,
 10 docta condonate virum per ora
 11 Lygidae et Pignae volitare juncta
 12 nomina semper.

IOAN. BAPTISTAE PIGNAE CARMINUM LIBER SECUNDUM

AD ALPHONSVM FERRARIAE PRINCIPEM.

c2_01 v.1 Ibis per alta montium cacumina,

2 Alphonse, ventis ocior,
 3 ut omne Regis inclyti periculum,
 4 sit et tui periculum.
 5 Quid ipse ? Vitam qui meam esse censeo
 6 tuo trahendam de statu ?
 7 An quae dedisti non recusabo otia,
 8 amara prorsus te sine ?
 9 Tuosne cursus et viam cursoribus
 10 laboriosis asperam
 11 tentabo ferre, teque per saxa Alpium
 12 vix culta saxa Helvetiis,
 13 usque ad remotum solis ortu Belgum
 14 gradu citato consequi ?
 15 At ad quid ipse non potens re bellica
 16 te bellicosum consequar ?
 17 At tecum ero ut minus timendum sit mihi,
 18 major metus distantibus.
 19 Affectus anguis est timore maximo
 20 relictus ne rapax avis
 21 invadat ova, non quod is praesentia
 22 magis tueri cogitet.
 23 Quamcumque militis subibo sarcinam
 24 tibi libenter obsequens ;
 25 non ut terantur plura nostro jugera
 26 robustiore rustico.
 27 Pecusve maritimis cadente Carcino
 28 montana mutet pascua.
 29 Nec ut sit augusto suburbano Herculis
 30 aequanda tecto villula.
 31 Me gratiae tuae supremo munere
 32 satis beasti, haud appeto
 33 quod aut tenax et aridus non largiar,
 34 aut dissolutus dissipem.

AD ANNAM LVCRETIAM ET LEONORAM FERR. D. F.

C2_02 v.1 O tres sorores, o renatae gratiae
 2 Jovisque nostri filiae.
 3 Vos eloquentiae pater Sinapius
 4 et Phoebi alumnus instruit
 5 virtute regum comprobans cultibus,
 6 choroque sacro Virginum.
 7 Sic solis atque Mercuri commercium
 8 antiquae amabant gratiae,
 9 ut indicarent actiones integras
 10 et verba digna laudibus,
 11 quae nos salutis expetito munere
 12 vere beatos redderent.

AD IVLIAM VRBINI DVCIS F.

C2_03 v.1 Nunc semper a te volvitur vir omnium
 2 scientiarum particeps.
 3 Nec spernis illum et si insequatur acriter

4 et mente iniqua feminas.
 5 Sed reddis illum lectione fervida
 6 gratum tuis sic auribus
 7 et sic amicum, ut aestuosi sideris
 8 non pellat ardor impotens
 9 te fonte ab ejus effluente copia
 10 caelestis undae lacteae,
 11 sonoque dulci murmurante marginem
 12 dum lambit amne floridum.
 13 Et sic amicum, ut negligenda sit tibi
 14 iniquitas et ingeni
 15 vis ejus acris, qua probare nititur
 16 vos esse prorsus infimas.
 17 Tu namque secum tempus omne conteris
 18 ut esse durus desinat.
 19 Et ceteras te metiendo jam velit
 20 aequare vos tandem viris.
 21 Quod si sequatur et sit etiam pervicax
 22 quod vos in actionibus
 23 rerum misellae frigeatis omnium ;
 24 dum tu revolvis aureos
 25 mores frequenti dextera queis nobilem
 26 formare querit filium,
 27 vincetur armis et labore proprio.
 28 Ni forte dicat inscius
 29 vinci, peritas esse nullas, attamen
 30 unam fateri Julianum.

AD LAVINAM VRSINAM.

C2_04 v.1 Ut vestit herbis et colore pascua
 2 si vere spiret ultimo
 3 ab occidente flatus aura blandulo
 4 mordente campos frigore,
 5 et inde colles inde prata solibus
 6 rident novis virentia,
 7 sic ipse dulci recreor solatio
 8 postquam mihi nuperrime
 9 denuntiavit vir meae materterae
 10 Thomas Vicecomes moribus
 11 et eruditus litteris multam senex,
 12 te spiritu toto anxio
 13 haurire verba patris aeterni sacra.
 14 Et igne cordis intimo
 15 ardere in illum deprecans dissolvier,
 16 ab orbe tandem hoc libera.
 17 Divina flamma cinixerat Laviniae
 18 frontem et comas Laurentiae.
 19 Nunc pectus, alta nunc petit praecordia,
 20 Romanae, et illam pulchrius.
 21 Accendit, atque non decus regni infimi,
 22 sed sempiterni nuntiat.
 23 Non luctuosi monstrat esse proelii,
 24 sed signa pacis aureae.

AD ANT. MVSAM BRASAVOLVM.

C2_05 v.1 Beatus ille qui suis laboribus
 2 sibi suisque proximis,
 3 quae vitae ad usum comparanda maximum,
 4 satis paravit omnia.
 5 Virtute cuncta metiendo, moribus
 6 nil inquinatis integer.
 7 Potens acuta mente, vique consili
 8 hic infra et in sublimibus.
 9 Valens et acer, artibusque, et robore,
 10 formae decentis admodum.
 11 Favore regum clarus atque gloria,
 12 amploque honoris praemio.
 13 Cujus feruntur optimos ad exitus
 14 a sorte vota prospera.
 15 Cui gentis atque civitatis inclytae
 16 insigne factis est genus.
 17 Superstites cui adhuc amici plurimi,
 18 probique nec non divites.
 19 Multique liberi viri jam, atque artibus
 20 multum decoris splendidi.
 21 Conjuxque casta satque pulchra, non minus
 22 fecunda quam sit fetibus.
 23 Cui sunt opes agris et aere et aedium
 24 tectis superbis uberes.
 25 Et cui senectus est futura lenior,
 26 ut corpus aetas indicat.
 27 Haec prorsus in te, Musa, cum sint insita,
 28 quis te beatum non vocat ?
 29 Beate Musa, Musa tu beatior
 30 quocumque felicissimo.

AD DEVM OPT. MAX.

C2_06 v.1 Petri carina turgidis revolvitur
 2 magis magisque fluctibus.
 3 Ejusque rector nullus est mortalium.
 4 Nemo misellae subvenit.
 5 Tu rex Deorum, tu pater sanctissime
 6 supreme rector caelitum.
 7 Qui concitata sic serenas aequora
 8 ut illa nutu temperes ;
 9 si precibus ullis ipse nostrum flecteris
 10 nos si tuos tu diligis,
 11 navim e procellis hanc leva manu tua,
 12 tua benigna dextera
 13 tu, domine, nunc istanc ab undis eripe
 14 servaque sancto lumine.
 15 Nam ad te integri accedunt viri, ad te virginis
 16 castae, precantes, supplices.
 17 Quod si haud rogasse te pater cognoverint
 18 frustra, precantes, supplices ;
 19 immo te amicas praebuisse vocibus

20 aures suis quam tristibus ;
 21 te semper efferent suorum carminum
 cantu, sonoque amabili,
 22 semperque eburno personabunt pectine
 servasse te bis omnia.
 23 Egoque lucis o meae dulcissima
 lux, unicum o vitae decus,
 24 surgente sole vel cadente concinam
 hymnos tibi sacros, quibus
 25 ab austro ad ursas omnium ore gentium
 nomen tuum laudabile,
 26 ad astra ferre nitar, atque plurimas
 agam tibi dum gratias ;
 27 dicam tui ordinis decorem ad barbiton,
 dicam meis te cantibus.
 28 Meisque cantibus tui admirabile
 laudabo nomen numinis.
 29
 30
 31
 32
 33
 34
 35
 36

AD IOANNEM SALVIATVM CARD.

C2_07 v.1 Quid me, quid impedit beate Salvium
 non esse in urbe Romuli ?
 2 Tecum nequire sic enim gratum tibi
 de physicis rebus loqui ?
 3 Vitam sub alta posse nondum regia
 amabilem traducere ?
 4 Quando mihi tandem datum esse sentiam
 pedes tuos ut osculer ?
 5 Ut Martis audiam virorum principes
 laete canentes Salvium,
 6 cantu canentes Salvium sanctissimo
 ter optimum ter maximum
 7 sono canentes Salvium suavissimo
 Numen decusque caelitum.
 8 Tunc mixta tibi sonantum carmina
 cum me tenebunt plurimum ;
 9 quid ipse sentiam mihi jucundius ?
 10 Mihi quid esse dulcius ?
 11 Quam personare te cava testudine,
 lyraeque chordis acribus ?
 12 Quam voce Salvi nomen alta tollere,
 ejusque facta dicere ?
 13 Quod solus alma pace cunctos adjuvet.
 14 Salus quod is sit omnium.
 15 Tunc si quid in Pigna dedere Pindari
 Pindi colentes verticem,
 16 patescat, illum (crede) quando pectine
 fides juvabit tangere.
 17 Cum verba plectri tinnulis reflexibus
 confundet arte barbiti.
 18
 19
 20
 21
 22
 23
 24
 25
 26
 27
 28
 29
 30

DE CAMILLA ET PAVLO.

C2_08 v.1 Camilla Paulo pulchriori pulchrior

2 conjuncta matrimonio.
 3 Sed hujus uxor ore tam puerum refert,
 4 vir tam puellae proximus,
 5 ut quae Camilla, qui que Paulus ambigem,
 6 mihi quae amanda nesciam.
 7 Ambo fenestrae, me miserum, ad aedes meas
 8 versae frequenter insident.
 9 Ibi libidinosius ludunt, ibi
 10 me contuente clanculum,
 11 inter se inhaerent, implicantur mutuis
 12 sicut hederae complexibus.
 13 Sibi invicem sugunt ocellos ebrios,
 14 se mille lambunt basiis.
 15 Modo recedit hic, modo illa, modo illa et hic,
 16 ibique rursus insident.
 17 Simulque sua rursus remordent paululum
 18 labella dente candido.
 19 Labella rosea, purpurea cupidinis
 20 signo notata fervidi.
 21 Tandem sagum conjugis ab illa solvitur,
 22 ab hoc maritae zonula.
 23 Quid ista quibus exanimor mente repeto ?
 24 Quid heu, quid ista persequor ?
 25 Quae furta, qui lusus sequantur postmodum
 26 cum nuda vertunt corpora,
 27 sol testis ipse solus. Haec qui me occupat
 28 dolor videre non sinit.
 29 Sic ibi diem lasciviunt totam, atque ibi
 30 gaudent, fruuntur undique,
 31 et cum coma candente Phoebus occidit ;
 32 et cum resurgit aurea.

AD VIRGINIVM AREOSTVM, ALEXANDRVM SACRATVM, ET HIPPOLYTVM CASTELLVM.

C2_09 v.1 Nullum sodales est laboriosius
 2 interpretandi munere.
 3 Qui verba tantum consequuntur insciis
 4 sunt comparandi infantibus.
 5 Cursu relicto orationis displicant
 6 qui sola sensa proferunt.
 7 Obscura namque cuncta sunt, cum quae audierit
 8 auditor ad librum applicat.
 9 Si semper incumbis in idem negotium
 10 numquam abnuens praesentia,
 11 numquam pedem efferens solutum angustiis,
 12 vel pauper es vel aridus.
 13 Quod si vagaris inde sermo redditur
 14 inanis ostentatio.
 15 Nolunt adulti parva, junioribus
 16 ingrata magna quaelibet,
 17 aures parum implet pauca ferre veterum
 18 contentus exemplaria.
 19 At prorsus illas occupant voluminum
 20 auctoritates plurimae.
 21 Elata vox dicentis, est vox Cyclici.

22 Demista vix mittit sonum.
 23 Tardae loquentes dictionum copia.
 24 Egere judicabitis.
 25 Et incitatos cuncta penitus infima
 et involuta reddere.
 26 Expressa regem fingit elocutio.
 27 Oppressa plebis propria
 28 jactare brachium histriionis. Saxeae
 nihil moveri imaginis.
 29 Quid plura ? Ni servata forma sit integra,
 et inter haec mediocritas :
 30 et ni approbent te omnes (quod esse non potest)
 nil prorsus est actum tibi.
 31
 32
 33
 34

AD BARTHOLOMARVM SALAM.

C2_10 v.1 Si magna semper est tibi benignitas
 hic, Sala, nunc sit maxima.
 2 Qua diligentia potes negotium
 cura tui et mei Ambrosi.
 3 De quo Renata Galla scripsit Ghisio
 cum quo ipse nunc es, Principi.
 4 Illi obsequetur Italica in litteris,
 et obsequetur optime.
 5 Et praeter Italicas in Atticis quoque,
 et in Latinis si velit.
 6 Acutus est metro, et solutae copia
 orationis elegans.
 7 Tu, Sala, junges laureae linguam, hunc virum
 si Ghisio tu junxeris.
 8
 9
 10
 11
 12
 13
 14

AD ALEXANDRVM SARDVM.

C2_11 v.1 Qui scriptio consecravit tot virum
 aeternitati gloriam ;
 2 vitam nequivit amplius traducere
 jam morbo et annis languidam.
 3 Hoc, Sarde, munus te moratur : annua
 notanda facta sunt tibi.
 4 Quod afferebat jam voluptatem tuis
 in lucubrationibus,
 5 cum scriberes nonnulla quae tempus feret,
 labore nunc tractabitur.
 6
 7
 8
 9
 10

AD FRANCISCVM BOLOGNETVM.

C2_12 v.1 Dum vera vitae forma commendabitur
 perfectiori proxima,
 2 perfecta si non possit integre exprimi
 nullo notata criminis.
 3 Dum bella reges approbabunt horrida,
 et asperae errores viae,
 4 sudore multo et hinc, et inde languidos,
 5
 6
 7

8 vi cordis invictos tamen ;
 9 dum laeta turbans lacrimoso funere
 10 fortuna nutu perfida,
 11 nos admonebit in secundis lubricam
 12 felicitatem temnere ;
 13 si Etruria etiam et lingua Tusca obiverint,
 14 Arni cadente nomine ;
 15 vivet, canetur, omnium o vatum optime
 16 tuum poema Lydium.

AD IOANNEM SINAPIVM.

C2_13 v.1 Postquam impotentes nunc tyranni Apollinis
 2 nata insequuntur alterum
 3 Musis relictis nunc ad alterum ipsius
 4 natum Sinapi configis,
 5 quondam arte, qua miser petivit inferos
 6 Hebri poeta Thracii :
 7 vitam trahebas duriorem rupibus
 8 inhospitalis Caucasi.
 9 Nunc arte qua fuit evocatus inferis
 10 fato secundo Virbius ;
 11 vivis beatus, atque flos Germaniae
 12 te semper unicum colit.
 13 Sic te Sinapi qui nequivit antea,
 14 servare nunc vult Delius.

AD ALPHONSVM ROSSETVM.

C2_14 v.1 Rossete juris utriusque diceris
 2 peritus haud injuria.
 3 Nam semper es Patris beati legibus
 4 et dignitate clarius.
 5 Nam semper excellentior fis legibus
 6 et dignitate Caesaris.
 7 Augetur ex te splendor urbis, atque apex
 8 Pastoris alte tollitur.
 9 Dignum esse laetatur tua prudentia
 10 suum Senatum Regia.

DE LVDOVICO CATO, ET RENATO, ET SIGISMVNDO.

C2_15 v.1 Unus fuit Romae Cato, sunt hic Cati
 2 tres jure consultissimi ;
 3 tres eloquentia valentes plurimum,
 4 sive explicationibus
 5 in publicis angustias legum aperiant
 6 ex eminente pulpito ;
 7 seu rebus in perarduis sint integra
 8 exscriptione consules ;
 9 seu lucide docteque, acuteque dubia
 10 de re forensi differant.

AD PROSPERVM PASETVM.

C2_16 v.1 Commendo tibi causam, Pasete, aequissimam,
 2 Pasete, judec integer.
 3 Judaeus ille perfidus, quem esse penitus
 4 heri probavi perfidum,
 5 dolo malo acceptam mihi pecuniam
 6 reddat tua sententia.
 7 Tecum agere pudet hoc de levi negotio.
 8 Te detinere non decet,
 9 ni res gravis sint ponderis, ni maximae
 10 causae urgeant et maximae.
 11 Te namque rebus occupant in arduis
 12 Forum, Senatus, Regia.

DE TEMPLO, POEMATE.

C2_17 v.1 Ut orbis artifex bonorum continet
 2 felicitates omnium.
 3 Ut inde forni a conferuntur invicem
 4 sub sempiterna traditae,
 5 vatum ingenia sic sunt in isto singula
 6 templo sacrata maximo :
 7 simul supremae sic et in idem desinunt
 8 erecta pulchritudini.

AD HERCVLEM CALCAGINVM.

C2_18 v.1 Parentis audiere vota caelites
 2 illustris Hercules tui.
 3 En spiritu beatiore doctior
 4 in te resurgit Caelius,
 5 vigebat antea viri hujus gloria,
 6 nunc vivit ipse spiritus.
 7 O mortem inanem ex qua secuta Caelii
 8 jactura tantum corporis.

AD LYGIDAM.

C2_19 v.1 Ut pulvis a te umbra reddar ocios
 2 venena Ponti ne legas.
 3 Ne phyliram et lanam pares altaribus
 4 tribus imponendam Cerberi.
 5 Serena numquam, blanda numquam lumina
 6 in me reflecte Lygida.
 7 Turbata semper, saeva semper Lygida
 8 in me reflecte lumina.

IN POETAM FVREM.

C2_20 v.1 Quoquo, miselle, tendis, aut cur vestibus

superbis ita <...> non tuis ? (vers lacuneux)
Jam siste, siste, jam sceleste et exuas
te non tuis his vestibus.
Recedis, improbe, atque surdum sic agis ?
Non erubescis, improbe ?
O hominis audacissimi impudentiam,
sed jam fugis mastigia ?
Quid, o quid agitis nunc viatores boni,
vosque populares optumi ?
Hunc hunc lapidibus sequimini, en en pallium
abjecit hic dum cursitat.
Depone quoque sagum atque tunicam verbero.
Depone soleas, pileum,
et si quid aliud te tegit. Nudus redi.
Adhucque properas ? At at abi.
Abi in malam crucem, sceleste, furcifer.
Te post tamen si offendero.
Sed quid ego moror hoc in negotio nimis ?
Te carnifex cumque pueris
virgisque cito caedet mihi crede ad necem.
Te te, miselle, conteret.

AD HIERONYMVM PHALETVM.

C2_21 v.1 Phalete, maxime omnium poetarum,
2 quidam latenter saepiusque pinetum
3 meum ingreditur, ex quo auferat nuces multae,
4 multasque carpat se omnium per hortorum
5 vireta postmodum esse divitem monstrans.
6 Si iste voti saepe compos est factus.
7 Sed si redire tenderit, meas pinus
8 sic concutiam, ut illius in caput poma
9 et concidant, et illud oppido frangant.

IN DVOS GRAMMATICOS.

C2_22 v.1 Dum ille asserit, repone, putidiusculi
2 dum ipse increpas. Immo pudentiusculi :
3 anne magis ille putida auditu refert ?
4 Anne magis ipse pudenda dictu praedicas ?

IN LYSSVM.

C2_23 v.1 Quid ista, Lisse, vertis in me lumina
2 sic igne sic atro referta sanguine ?
3 Quid ventre turgido per aulas ambulans
4 vultu truci sic intueris omnia ?
5 Quid sicuti petita ferro bellua
6 aut pressus anguis te esse cruciatum Indica,
7 an quod venena lacte matris hauseris
8 foetente, lurido, acriore toxico ?
9 Venena taetra conferenda viperis
10 quae reddiderunt te furore percitum ;

11 et quod vomere non illa possis ob metum,
12 nunc te necarint nunc tua urant viscera ?

IN POETAS IMPVDICOS.

C2_24 v.1 Ni vos poetae comprimatis impetum
2 ineptientis lingulae loquaculæ,
3 ni vos Rodulphi deferatis lumina
4 quæ tela vobis judicantur aurea,
5 ni terga pariter deseratis illius
6 quæ scuta vobis judicantur lucida,
7 aut terga plagas ferre vestra plurimas
8 cogentur atque scuta fient livida,
9 aut plantæ erunt vestrae fugaces spiculis
10 velociores incitatis arcubus.

AD AMICOS.

C2_25 v.1 Quid vultis istinc me procul recedere,
2 semperque flere, veste tota lugubri
3 semper nemora lustrare jugaque montium ?
4 Ut possis integrum agere vitam tristior ;
5 ut regna purior beata compares ;
6 ut ista probitas te dei natum indicet.
7 Quid ergo fugiam uti columba quae manet
8 inter latebras evolans ex oppidis,
9 non tuta se credere pygargo proximam ?
10 Desine, precor, quicumque sis, jam desine.
11 Nullus etenim mortalium his laboribus
12 gravissimis solvetur erratis suis.
13 Non si maria tot funderem quot lacrimas,
14 mortem eluens miserrimam illa crimina
15 abstergerem quibus inquinata est anima mea
16 infirmus ego sum mihi parare quidpiam :
17 clementia sua suoque numine
18 meam dominus iniquitatem deleaf.

DE PORTICO IVRISCONS.

C2_26 v.1 Quis non putabit nunc renasci mortuos,
2 ut orbis olim credidere interpretes ?
3 Nam Portius suam colens Rempublicam.
4 Legum tenebris lumen attulit nitens.
5 In civitate libera nunc Porticus,
6 leges dat in lucem in latebris abditas.
7 Sic ergo si jam et hic et ille, et ille et hic
8 neque nomine, neque re, neque loco differunt,
9 quis non putabit nunc renasci mortuos ?

AD. DEVM OPT. MAX.

C2_27 v.1 Rector supreme caelitum,

2 qui nocte splendidissima,
 3 nostrae saluti consulens,
 4 orbi salutis inscio
 5 tuum dedisti filium.
 6 Tuo potenti numine
 7 nunc bella taetra disjice.
 8 Nunc mitte pacem candidam,
 9 o pacis auctor integrae,
 10 Rector supreme caelitum.

AD HERC. FERR. DVCEM.

C2_28 v.1 O splendor orbis, Hercules,
 2 a te remotum respice
 3 tuum benigne servulum,
 4 qui te misellus invocat.
 5 Illi tenebris obsito,
 6 tuo nitenti numine
 7 serena praebe candida,
 8 o splendor orbis, Hercules.

IO. MARIAE VERATI EPIT.

C2_29 v.1 Quis hac in urna conditus ?
 2 Veratus ille ne omnium,
 3 qui theologorum maximus,
 4 seu contione perpotens
 5 arcana sacra panderet,
 6 seu voce viva publice
 7 sensa explicaret mystica
 8 seu verteretur acriter
 9 in impiorum dogmata ?
 10 Non hic. Superstes est adhuc
 11 Veratus ille, ille omnium
 12 qui theologorum maximus.

IN POETAM MALEOLENTEM.

C2_30 v.1 Quid hac in urna foetidi ?
 2 Caepa illa frondis aridae
 3 foetore cuncta quae enecat.
 4 Cuncta ergo foetore enecat
 5 caepa ista frondis aridae,
 6 nec quaeris ipsam perdere ?
 7 At quo modo ? Dic, obsecro.
 8 Hanc peste majori opprime.
 9 Et carmen hoc urnae applica.
 10 Huc quisquis es qui pervenis
 11 in hanc, viator optime,
 12 depone ventris sarcinam.
 13 A te id viator optime
 14 via ipsa tristis expetit,
 15 a morbo ut ipsam liberes.

16 Quid hoc, amice, consili ?
 17 Nil hoc, amice, consili.
 18 Hoc namque cuncta stercore
 19 numquam venenum exstinguerent :
 20 hircosa tam, tam lurida
 21 caepa ista frondis aridae.

AD VINCENTIVM MADIVM.

C2_31 v.1 Poeticae tuae liber
 2 Madium omnium doctissime,
 3 mihi indicat te non modo
 4 voce mihi, sed etiam tuis
 5 scriptis magistrum esse optimum.
 6 Nunc igitur a me gratiae
 7 tibi sunt agendae maximaes.
 8 Tum quod dederis isto libro
 9 audire me te Aristotelis
 10 interpretem, tum quod modo
 11 me des legere te alia via.
 12 Quae me tibi addictissimum
 13 sic reddiderunt, ut licet
 14 amoris erga te mei
 15 signa pateant tibi minima,
 16 tamen tui me neminem
 17 amantiorem habeas, Vale.

AD PETRVM VICTORIVM.

C2_32 v.1 Rhetoricae Aristotelis libri gratissimi
 2 mihi fuerunt ex eis enim et loca
 3 satis quidem perplexa planiora te
 4 fecisse cognovi, et parasse gloriam
 5 vidi tibi quam maximam, nam et si tuo
 6 tu nomini famam antea conjunxeras,
 7 illi tamen quod perpetua certaque
 8 addita tibi sit optume dignoscitur.
 9 At Dii boni, boni quid omnibus tua
 10 isthaec studia portant, quem ea afferunt viro
 11 cuicunque fructum : singulos quam illa adjuvant.
 12 Mitto voluptatem, quibus enim non placent ?
 13 Pergas itaque velut facis, doctissime
 14 mi Petre, scriptis valde gratis omnibus.
 15 Atque Jovium interim, qui habetur a bonis
 16 quiritibus Novocomensis Livius,
 17 si offenderis, eum te rogo meo nomine
 18 salvere jubeas, atque filium tuum,
 19 nostrum Dominichium, mihiique Varchium
 20 carissimum, virum sane integerrimum.
 21 Ac ceteros qui nos amant. Tibi osculum
 22 figit Guarinus atque Cavalcantius.
 23 Tibique Lilius, Phalethus, Cynthius
 24 Pignaque salutem plurimam dicunt, vale.

AD ALEXANDRVM GVARINVM.

C2_33 v.1 Quod nunc, Guarine, sic ab illustrissimo
 2 Principe vocatus sis ad ejus imperii
 3 curas, ego quidem gaudeo quamplurimum.
 4 Nam quem admodum antea sua tibi credidit
 5 arcana, nunc tibi ejus ita negotia
 6 committit. Et recte quidem : quis est enim
 7 quem tu aut fide aut prudentia non maxime
 8 vincas ? Quis etiam qui magis te Nestori
 9 sit comparandus ? Jam satis igitur videns
 10 te ipsum hisce merito auctum esse dignitatibus,
 11 ut debo tecum gratulor, tuasque res
 12 semper Deum optimum locupletissimas
 13 reddere cupio, Vale, atque me quod facis ama.

AD CAROLVM SIGONIVM.

C2_34 v.1 Ad me Luisinus meus venit hodie,
 2 doctissimus certe vir, atque non parum
 3 versatus in poetica, te plurimi
 4 facit, satisque gratiam tuam cupid.
 5 Hunc obsecro libenter inter optimos
 6 tuos amicos colloca. Mutinam petit
 7 Reginiensibus vocatus. Ubi eum videris,
 8 eum libenter ipse videris. Vale.

AD JACOBVM ACCIAIOLVM.

C2_35 v.1 Cenamus ad colles amoenos principis.
 2 Situ ipso amoenos. Attamen gratos parum,
 3 quia sine te languent, vola huc si nos amas.
 4 Nos versibus tuis tuoque amabili
 5 sermone reficere potes. Huc vola obsecro :
 6 sine te aeris flatus levissimus, nitor
 7 et murmur undarum, arborum umbrae, garrulus
 8 cantus avium, et nobis reliqua minime placent.
 9 Omnia placebunt si ipse veneris. Vale.

AD FRANCISCVM ROBORTELLVM.

C2_36 v.1 Tua scripta, Robortelle, nuper edita
 2 problematum poeticorum te aggredi
 3 negotium attestantur. Ego pariter libros
 4 poeticarum quaestionum duodecim
 5 jam scribo, sed tamen video quid nos sumus
 6 diversi in hac re. De Aeschylo tibi gratias
 7 ago maximas, illum mihi excussor dedit
 8 nomine tuo, illius notando plurima
 9 errata, legem detegis tragicci bonam.
 10 Id sicuti omnibus ita mihi est gratissimum.
 11 Tecum alia plura cum Patavium venero.

12 Tunc tecum ero. Cura interim ut bene valeas.

AD BERNARDINVM LAVREDANVM.

C2_37 v.1 Et Lippomanus et Sigonius mihi
 2 de litteris tuis, tuisque moribus
 3 ita plura dixerunt ut omnino velim
 4 te colloquendi gratia istuc tendere.
 5 Accensus adeo sum ex tuis virtutibus,
 6 ut non magis puellam amator ardeat.
 7 Sed fama tantum ad hunc amorem me incitat.
 8 Te ubi visero quod erit diebus proximis
 9 augebitur vis benevolentiae. Vale.

AD BERNARDVM NAVGERIVM.

C2_38 v.1 Cum te Senatus litteratorum libris
 2 atque studiis praefecerit, mea carmina
 3 satis beata censeo, quod in tuum,
 4 Bernarde, judicium inciderunt. Spero enim
 5 te a me rogatum atque obsecratum non modo
 6 illa esse lecturum, sed et vestigis
 7 multis relicturum notas creberrimas,
 8 quibus ea te legisse comprobem. Vale.

AD HIERONYMVM LIPPOMANVM.

C2_39 v.1 Quae mihi legenda dedisti Amalthei, mihi
 2 fuere grata, sunt enim ejus carmina,
 3 et dulcia et satis Tibullo proxima,
 4 stimulis amoris incitata scilicet.
 5 Ut inde pateat hunc amicum esse penitus
 6 Speronis et Venerii, mihi quoque
 7 gratum fuit videre te poeseos
 8 ardere studio. Sic enim scientiam
 9 legum artiumque quibus utrisque satis vales
 10 ornatiorem prorsus effinges. Vale.

AD HIPPOLYTVM II FERR. CARD.

C2_40 v.1 Tibi gratias ago maximas, amplissime
 2 Hippolyte, quod me heri explicantem publice
 3 Rheticam Aristotelis tua praesentia
 4 decoraveris. Nam licet honor honorantium
 5 existat, illum cum afferant et auferant ;
 6 existimatio tamen duci solet
 7 ab honore bona, mala pariter ab opprobrio.
 8 Quare tibi iterum maximas ago gratias,
 9 nec solum eam ob causam quod ipse me auxeris
 10 hac dignitate digniore ceteris ;
 11 sed quia etiam benignitate me tua
 12 ita incitasti, ut hinc laboriosius

13 majora semper aggredi cupiam. Vale.

AD BERNARDINVM MAPHAEVM CARD.

C2_41 v.1 Sadoletus antea atque Rembus purpuram
 2 probitate morum et litteris ornaverant.
 3 Nunc ipse cum iisdem comparandus idem decus
 4 virtute eadem duplici, multo magis
 5 illustre reddis, quam quod illud augeat
 6 te dignitate jam tibi non insita.
 7 Hac igitur in re cum nihil magni aut novi
 8 inesse videam quod tibi successerit,
 9 supremi in explicatione gaudii
 10 non esse mihi valde elaborandum arbitror.
 11 Id ex me habebis potius ut bene valeas,
 12 magnique post Farnesii negotia
 13 cures ut antea beate vivere,
 14 fruique societate Flaminii tui,
 15 Mirandulaeque tui et Priulii. Vale.

AD BASILIVM ZANCHVM.

C2_42 v.1 Scripsit mihi Jovius cupere se carmina
 2 de laudibus fortissimorum principum,
 3 quae illustriora facta paucis dicerent
 4 eique tradidisse Bargaeum Angelum,
 5 Fumanum Adamum, Junioremque Jovium
 6 ita plura nunc, ut in alias imagines
 7 Vitalis et Myrthaeus et Thebaldius
 8 multa intulerunt, ex me aliqua valde cupere
 9 sed velle se citissime si quid velim
 10 mittere quod in libris suis accommodet.
 11 Ego quoniam properare nolo in re ardua,
 12 nil prorsus illi tradidi, sed postea
 13 quaedam videns molestius de Caesare ;
 14 molestius, quod illa diligentius
 15 severioris more patris cernerem,
 16 haec exaravi Horatii stylum aemulans.
 17 Quae ideo tibi mitto ut oculis fidelibus
 18 ea judices, tradasque patri Octavio,
 19 tuoque Pierio viris doctissimis.
 20 Nunc tantum id ex te summopere peto. Vale.

AD ARNOLDVM ARLENIVM.

C2_43 v.1 Ut denique annotationes Lilio
 2 in vulgus exeant dabis operam Arleni,
 3 si nomen illius ita nunc curaveris,
 4 ut ejus observaveras superstitis
 5 et famam, et eruditionem aequissime.
 6 Has scripsit integerrime Frizzolius,
 7 cultus Camenis elegantioribus,
 8 senisque alumnus juvenis, et amatus seni.

9 Has esse tibi missas refert Othobonus,
 10 qui recte in ipsis unus est loquentium.
 11 Multos enim doctos loquentes continent.
 12 Curabit etiam Cynthius Gyraldius
 13 ut carmina ejusdem legantur ab omnibus,
 14 quae plura sunt, quaeque in manibus habet. Vale.

DE ANIMA, EX SALOMONE.

C2_44 v.1 Nunc est soluta vix, et aura lenior
 2 jam surgit Arcto non furente frigida.
 3 Nunc, o columba, surge, solve vincula.
 4 Te noster hortus et viretum te manet ;
 5 ubi sereno vere semper obstrepunt
 6 nitentium fontes aquarum murmure.
 7 Ubi Hediostrom, Tymbra, Sampsuchum, Zygis,
 8 nymphaeque molles et chori cum circulis.
 9 Ubi sonoro concinunt discrimine
 10 numero impari cantuque vocum tinnulo.
 11 Ubi temperatis cuncta rident solibus,
 12 et prata vario sunt colore florida.
 13 Amasne me ? Si me tu amas (ut vere amas)
 14 illuc vola, illic tecum ero citissime,
 15 nec impedimentis, licet sint maxima
 16 et multa, retinebor, sed in te me inferam.
 17 Tunc non ero nisi quod es tu, tunc mihi
 18 jucunda quae nunc vita plurimum gravis.
 19 Tunc pulcher et dives redibo ex infimo.
 20 Tu sicuti nova nupta tunc amabilis,
 21 me in te fovebis blandulis affectibus.
 22 Ipse mage quam istic sentiam tua oscula.
 23 Sunt oscula tua suaviora nectare,
 24 sunt dulciora Chio et Albae cantharis.
 25 Amica mea, columba mea, vitaque mea,
 26 si sunt soluta vincla et exis e luto, es
 27 candidior atque mollior nive, lactibus
 28 paulum coactis, atque olorum plumulis.
 29 Formosa lascivaque, nitidaque, placidaque.
 30 Devincta si restas et in limo manes,
 31 negligeris, informisque valde displices.
 32 Quid ergo cessas quidque te nunc comprimit.
 33 Nunc, o columba, surge, solve vincula.
 34 Viridarium pete, ire cursu triplici
 35 illuc poteris. Est primus anxius admodum,
 36 qui sequitur et medius facilis est admodum.
 37 Quid trepida metuis ? Dux erit amor aliger.
 38 Et ipse pennas tum tuas facile reget.
 39 Sistes ab itinere cum nihil aliud voles,
 40 nec velle poteris quam locum tibi traditum.
 41 Videbis ante visa, et ante cognita :
 42 ibi tenella quondam, et orta quondam ibi.
 43 Ibi lympha purior est, ibi esca dulcior.
 44 Agendum obsecro propera, et tuum in nidum redi.
 45 Propera et ab hospitio hoc redi tuam in domum
 46 interim ego cernens hic et illic singula,

47 surripio quidquid est decoris ex eis,
 48 id omne transferens ab his in te unicam.
 49 Et hic quod agitur siquid hic agitur, tuum est.
 50 Tuum est quod ego sum, si modo ego sum, sum attamen.
 51 Quod non simile tibi, simile cui nescio.
 52 Quod convenit tecum ad locum nostrum applico.
 53 Illic enim te vellem adesse, totus ibi moror ;
 54 taciteque clamo te vocans, te sine miser.
 55 Amica mea, columba mea, vitaque mea,
 56 vide, amore langueo, pereo, sum idem gelu
 57 et ignis idem, hic corde fervido viget.
 58 Liquescit illud : ardor urit intime.
 59 Jam prodeas nova nupta : totus ardeo
 60 quid stas locis inclusa viminalibus ?
 61 Quid stas in antro ut in lutoso carcere ?
 62 Jam prodeas jam tempus instat optumum,
 63 nunc, o columba, surge, solve vincula.
 64 Nunc est soluta nix, et aura lenior
 65 jam surgit Arcto non furente frigida.

IOAN. BAPTISTAE PIGNAE CARMINUM LIBER TERTIVS.

AD ALPHONSVM FERRARIAE PRINCIPEM.

C3_01 v.1 Sic aurae faveant leves,
 2 sic montes facili via
 3 rivorumque tibi vada,
 4 antris amne retento ;
 5 Alcidae soboles tuo
 6 nos serves animo, alpium
 7 dum velox superas juga,
 8 et nos urbe tenemur.
 9 Tu nostrum decus unicum.
 10 Te solum colimus, prece
 11 te numen veluti pia
 12 semper rite vocamus.
 13 O aures adhibe semel,
 14 et nutu semel annuas
 15 Princeps, a studio gravi
 16 paulum mente retracta.
 17 Te cantus citharae meae,
 18 te flectant gemitus tui
 19 Susenae miseri, et lacrimae,
 20 et lamenta Renati.

AD AMOREM.

C3_02 v.1 Jam satis procul a fero
 2 vixeram puero Cypri,
 3 illius satis aspera
 4 tela spernere doctus.
 5 Nunc mihi mea Lygida
 6 dum Cupidinis improbo
 7 arma, luminibus suis
 8 vulnus intulit altum.
 9 O deae Idalii, o Paphi
 10 magna progenies deae,
 11 infimi o genitor globi,
 12 orbiumque micantum.
 13 Te colunt domini inferi,
 14 teque te superi colunt.
 15 Pluto te timet et tuas
 16 Phoebus ipse sagittas.
 17 Nec deum domitor modo,
 18 sed virum, nemorum, amnium
 19 montium, pelagi, alitum,
 20 pisciumque ferarumque.
 21 At cum amor jaculis petas
 22 cuncta, jam quoque Lygidam
 23 quae nimis tua negligit
 24 tela, tange flagello.

DE LYGIDA.

C3_03 v.1 O Phoebi radio magis
 2 splendens lux nitidissima.
 3 O et sidere pulchrior
 4 pulchro Cypridis almae ;
 5 si tu me semel inspicis
 6 nec turbata nec impia,
 7 me mox nulla venefica
 8 diro lumine perdet.
 9 Non merces Arabum soli,
 10 non vasti maris insula,
 11 quam nuper petiit Ligur
 12 casu puppe fugata,
 13 non quidquid legit aridae
 14 messum campus Apuliae,
 15 non quidquid Tagus aureae
 16 circumvolvit arenae :
 17 me sic his opibus suis
 18 ditarent, veluti tui
 19 mittentes oculi jubar
 20 nostris Lygida amicum.
 21 Quae fingo mihi somnia ?
 22 Retro curret aqua prius
 23 Xanhtus, terraque purior
 24 supremis erit astris,
 25 et manes ego trans Styga
 26 cogar visere, et artubus

27 fractis undique vix ero
 28 atrae pulveris umbra,
 29 quam quod luminibus tuis
 30 tu lux me miserum bees,
 31 quam quod sis mihi tempore
 32 ullo Lygida amica.
 33 Me vero crucies licet,
 34 numquam dimovear, neque
 35 si vertas etiam dei
 36 in me flumina Lemni.
 37 Nam sum marmore firmior,
 38 et quovis scopulo feris
 39 decertato aquilonibus,
 40 caelo cum furit axis.
 41 Nam haec sant fulmina dulcia ;
 42 sunt haec dulcia vulnera :
 43 dulcis durities tua,
 44 iracundia dulcis.
 45 Sunt dulces gemitus mei.
 46 Et dulces querimoniae.
 47 Et dulces lacrimae quibus
 48 ipsa est dulcis amaror.

DE HERCVLE FERR. DVCE IIII.

C3_04 v.1 Clementissimus Actii nepotum
 2 quot juxta Eridani fuere ripas
 3 insignes animi benignitate,
 4 quas Laurentius arte Salviatus
 5 depinxit mihi maxima tabellas,
 6 tabellas ego quas ei dicavi
 7 affixit thalami sui camino.
 8 In his est Nemesis locata monstrans
 9 Aphronem manibus suis necandum ;
 10 sed tenet dea dum benigna clavam,
 11 clementem hunc nimis esse confitetur.
 12 Alcidae o specimen decusque magnum.
 13 O rarae indicium benignitatis.

DE ALITE ASTVRE.

C3_05 v.1 An praedo magis estet ales Astur
 2 volantum, magis Herculi ne amicus
 3 incertum. Volucres ita impetebat.
 4 Herum magnum ita prorsus expetebat.
 5 Nunc solvit dubium severa parca,
 6 et solvit trepidas aves timore :
 7 et solvit dominum joco fideli.
 8 Cum vita fuerit solutus Astur.

AD IOANNEM SALVIATVM CAR.

C3_06 v.1 Dum veris rosei virent honores,

2 jucunda Zephyri tepentis aura,
 3 ut omnes valeas levare curas,
 4 quae summae tibi, Salviate, dantur,
 5 figis per nemorum Padi latebras
 6 feras impavidas manu feroci.
 7 At cum plus oculis meis amem te
 8 mi desiderium tui relinquis.
 9 At desiderio modum et dolori
 10 optans ponere, Salviate, tanto ;
 11 conscribo seriem tibi modumque
 12 nunc tribus sapientiae libellis.
 13 Tu vero columen meum decusque
 14 dum solaciolum tibi requiris,
 15 ah, numquam ex animo tuo repellas
 16 pignam plus te oculis suis amantem.

AD GALEACIVM GONZAGAM.

C3_07 v.1 Anni tempora quae tibi dicamus
 2 nunc nobis elegi notata versu,
 3 Callini numeris potens et arte
 4 si Gonzaga putas legenda nullis,
 5 donec praecipites feruntur anni,
 6 non cursum reprimunt fugacis aevi ;
 7 si Gonzaga putas legenda cunctis,
 8 quamquam praecipites feruntur anni
 9 non cursum metuent fugacis aevi.

AD ALEXANDRVM GVARINVM.

C3_08 v.1 Quas tibi potero referre grates
 2 o quo nunc se Athesis Padusque jactat,
 3 quod me in Pieridum vireta duxti ;
 4 quod mi praesidium decusque nunc es.
 5 Te ne his hendecasyllabis ad astra
 6 tollam nec gravibus, tibi nec aptis.
 7 An quidquid placebo tuum esse dicam
 8 si id te non celebrem, Guarine, reddet ?
 9 At vero potius silebo, dignas
 10 ut tibi videar referre grates.

AD HIERONYMVM FENAROLVM.

C3_09 v.1 Donarem, domine, nuces leonum,
 2 Fenarole, tibi mea virentes
 3 e pinu, tibi si placere possent.
 4 Sunt nimis tenerae nimisque acerbae.
 5 Donarem folia aut cacumen ipsum.
 6 Sed hoc est humile, et noceret umbra
 7 illorum caput aggravans moleste ;
 8 non nullum tamen inferens dolorem.
 9 Quid ergo ? Mea si misella pinus
 10 nil grati retinet nihilque magni ?

11 At partem minime, sed ipse totam
 12 qualemcumque tibi arborem dicabo.
 13 Nam fructus cito reddet absolutos ;
 14 et frondes penitus feret salubres ;
 15 et major facilis vigebit aura,
 16 si tibi fuerit sacrata soli.

AD IOANNEM BONAM CATHAR.

C3_10 v.1 Undenis bona syllabis Latino
 2 ducto carmine me satis pusillum
 3 effers caelicolum super recessus.
 4 Quod si maxima maximo virorum
 5 digna susciperes tibi canenda
 6 modis quos epicum poema quaerit,
 7 ut vis ingenii tui pateret
 8 in hoc exiguo labore tanta ?
 9 At dices tenui magis supremum
 10 vatem materia, styloque et arte.

AD IOANNEM CASAM.

C3_11 v.1 Conscripti numeris Horatianis
 2 meo carmina principi dicata.
 3 Hac Flaccum sequor aemulatione.
 4 Quod caro a domino procul moretur,
 5 ipse conqueritur suis iambis.
 6 Hoc idem a me agitur meis iambis.
 7 Sed quod a me agitur probare nolo,
 8 ni tu ipsam prius aemulationem
 9 Casa, judicio tuo probaris.
 10 Casa qui omnibus aestimaris esse
 11 primus in numeris Horatianis.

AD HIERONYMVM RVSCELLIVM.

C3_12 v.1 Ruscelli, triplicis decus Camenae,
 2 Etruscae Latiaeque Achaicaeque ;
 3 judex candide carminum meorum,
 4 quos mihi faciles novem puellae,
 5 nunc dictant numeros neque expolitos,
 6 arida neque pumice indigentes,
 7 vel dignos tenebris vel esse luci
 8 dandos, dicere ne rogo recuses.
 9 Nunc haec, mox graviora judicabis,
 10 si ipse Pieridum supremus auctor
 11 a te versibus optimis vocatus,
 12 committet fidibus laboriosis
 13 heroum superum virumve facta.

AD LVDOVICVM BECATELLVM.

C3_13 v.1 Vitam dum cupis esse sempiternam
 2 libris aureolis tui propinquui,
 3 aeternam tibi, Ludovice, famam
 4 dant libri aureoli tui propinquui.
 5 Defunctum proprio labore tollis
 6 ad auras superum beatiores
 7 profundo in tumulo diu jacentem.
 8 Defunctus studio tuo superstes,
 9 te numquam sinet interire, quamvis
 10 in urna fueris repostus ima.

AD AONIVM PALEARIVM.

C3_14 v.1 Aoni decus Aonum sororum,
 2 quos mihi dedit aureos libellos
 3 Riccius tuus, aureos libellos
 4 qui desiderium omnibus relinquunt
 5 quo magis relegunt magis legendi,
 6 intentis oculis libenter hausit.
 7 Immortalem animam probas in ipsis.
 8 Ipsi saecula sempiterna, et esse
 9 immortalem operam tuam probabunt.

AD IO. BAPTISTAM FVSCHINVM

C3_15 v.1 Stroci deliciae tui meique,
 2 Fuschine optime, Strocius superstes
 3 dum fuit, patriaque in urbe Produx ;
 4 en oratio lacrimosa quam Dux
 5 in Stroci interitu me habere jussit.
 6 Hanc ab interitu ipse vindicabis
 7 si hanc dices penitus referre vitam
 8 Stroci non obitu priore dignam :
 9 indignamque obitu magis secundo.

AD PAVLVM MANVTIIVM.

C3_16 v.1 Arma pellere saeva barbarorum
 2 a multum validis adhuc Latinis
 3 Paulus interitu suo nequivit.
 4 Paule, tu potes elocutionem
 5 barbarem ex Italis ea occupatis
 6 arcere, et pariter tibi lucrari
 7 vitam perpetuo decore dignam.

AD HIEROYMVM FRACASTORIVM.

C3_17 v.1 Frastori medicum putatne quisquam
 2 ullo tempore non fuisse Phoebum ?
 3 Quod putat minime putabit umquam

4 si recte tua scripta pensitabit,
 5 si recte tua scripta pensitabit
 6 et negat medicum fuisse Phoebum ;
 7 in illum medicus sit atque Phoebus, :
 8 jacteturque animoque corporique.

AD BERNARDVM BVRGVNTIVM.

C3_18 v.1 Nunc aetas teneri rediret orbis,
 2 et quae decolor auream videres,
 3 si juris studio peritiores
 4 quaestum negligenter honore ducti
 5 ad morum sapientias beatas
 6 qua leges veterum fuisse constat.
 7 Et te denique ceteris relictis
 8 Burgunti unanimes sequi studerent.
 9 Te qui corrigis aequitate normae
 10 Lesboae varios ineruditos.
 11 Sic fori strepitus tumultuosus,
 12 et causae caderent simul nefandae.
 13 Sic aetas teneri rediret orbis,
 14 et quae decolor auream videres.

AD IOANNEM RHONCEGALLVM.

C3_19 v.1 Disertissime Ronchegalle Pisis
 2 tam recte potes explicare jura
 3 ut doctor populo voceris illo,
 4 nam cum nomen id afferunt Etrusci ;
 5 tunc tu non alias vocatur illis.
 6 Tulli sic quoque Vergiliique nomen
 7 orator tenet et poeta magnum.

AD FRANCISCVM SPVLVERINVM.

C3_20 v.1 Expono tibi Spulverine Sphaeram.
 2 Tu leges aperis mihi latentes.
 3 Hoc nostrum est opus atque utrumque magna,
 4 nisi quod superis reperta Sphaera ;
 5 sed leges hominum labore latae.
 6 Tu tamen studio tuo deorum
 7 aequae muneribus virum labores.
 8 Sic cum caelicolum revollo sedes,
 9 et cum tu retegis viam bonorum,
 10 hoc nostrum est opus atque utrumque magnum.

AD SERAPHNVM IACOBELLVM.

C3_21 v.1 Haec avis tua, Jacobelle, docta est,
 2 linguis dicere mille quidquid audit.
 3 Nec mirum : tibi proxima est perito
 4 juris, atque ideo omnium actionum

5 et rerum memori omnium abditarum.
 6 Immo omnes tibi, Jacobelle, cedant,
 7 omnes vis quibus est profundamentis.
 8 Ipse nam potes optime tenere
 9 quicquid ipse oculo capis vel aure.

AD LYGIDAM.

C3_22 v.1 Qamvis me rapias mihi latenter
 2 et blandae, nitido lepore vocis,
 3 et leni citharae sono canorae,
 4 me tamen mihi surripis repente
 5 dulci lumine dulciore labro.

AD AVGVSTINVM MVSTVM.

C3_23 v.1 Musti Antonius en Gyraldus, ecce
 2 quae nam carmina junior Gyraldus
 3 pangat ingenio suo peracri.
 4 Non praestanda fides viro illi iniquo
 5 ingratus senior suos momordit
 6 fracto dente tamen nec exacuto,
 7 non minus quam alios boni poetae
 8 bonis qui omnibus esse judicatur.
 9 Ingratos fuit hic stylo insecurus
 10 ingratissimus omnium ? Insecutus
 11 quos is toto animo intimo excolebat ?
 12 O saeclum insipiens et infacetum.

DE M.ANTONIO FLAMINIO.

C3_24 v.1 Hic, hic Flaminius jacet viator.
 2 Ille Flaminius decus Latinum ;
 3 dulci qui ad citharam sono canebat,
 4 non lusus Veneris cupidinisque,
 5 non contra superos minas ligantum.
 6 Sed faces animi beatiores,
 7 sed mentes hominum Deo sacratas.
 8 Hic hic est tamen ille morte pressus.
 9 I nunc et pia tura da, viator,
 10 si bonis eadem malisque Clotho.

DE HERCULE TROTIO.

C3_25 v.1 Habemus tibi gratias, Apollo,
 2 tibi qui medicae repertor artis.
 3 Quod morbum subita manu levaris
 4 qui carum puerum mihi premebat.
 5 Namque febre nimis gravi perustus,
 6 non cibum poterat tenere sumptum,
 7 ob ventris liquidi solutionem.
 8 Nec somnum capiens suis ocellis

9 se iturum tenebras putabat Orci.
 10 Nunc morbo procul a periculoso
 11 concessa fruitur salute paucis.
 12 At vobis bene sint manus benignae
 13 Phoebi, quae nihilum mali ferentes
 14 febrem de puero meo abstulisti.
 15 O factum bene, o benigne Apollo,
 16 tua nunc opera meo sodali
 17 amissae poterunt redire vires.

DE VIRGINIA TROTIA NEAP.

C3_26 v.1 Si potest animi decus resolvi
 2 ipso corpore vinculis soluto,
 3 unam ob virginiam repente raptam,
 4 una virginibus novem peremptis
 5 totum Parthenopes decus recessit.

IN IO. BAPTISTAM BONACOSSUM.

C3_27 v.1 Hunc qui laudibus afficit libellum,
 2 ut Xerxes platanum colorat auro.

IN DVOS POETAS.

C3_28 v.1 Commendo tibi pessimum poetam
 2 non musa, studioque non valentem,
 3 non ipso ingenio nec arte doctum,
 4 parva non aliqua eruditione.
 5 Lingua non etiam sat elegante.
 6 Sed qui carmina tam cacata pangit,
 7 ut merdosior omnibus latrinis,
 8 et totus similis tibi sit ille.

DE LYGIDA.

C3_29 v.1 Si sic Lygida me perurit intus,
 2 si sic me facibus suis Cupido,
 3 si sic cor liquido liquescit igne,
 4 unde tot gemitus, tot unde fletus,
 5 unde tot lacrimis genae rigantur,
 6 unde in tot pereo solutus undas ?
 7 O vitam nimium mihi perennem.
 8 O mortem misero diu vocatam.

AD ITALIAM DE LEANDRO.

C3_30 v.1 Quid me sic gemita misella perdis
 2 causas enumerans tui doloris ?
 3 Quid monstras laterum tot atra signa,
 4 quae te sollicitant adhuc et urgent ?

5 Da finem lacrimis, misella, tantis.
 6 Vivas nunc animo sereniore.
 7 Leander siquidem stylo peracri,
 8 et docta pariter manu levavit
 9 illatum Scythico furore vulnus.
 10 Te reddens ita pristinae saluti,
 11 ut possis merito venusta dici,
 12 illustris magis et magis renidens.
 13 Quam pars aut regio sit orbis ulla.

DE ALEXANDRO FARNESIO CARD.

C3_31 v.1 Farnesi ut oscularer
 2 Pauli manus nepotis,
 3 humidis genu retorquens,
 4 prolapsus ore humi sum.
 5 Dii dignitate tali,
 6 hanc indicent futuram
 7 Pauli pedum nepotis
 8 exosculationem.

DE REGINALDO POLO CARD.

C3_32 v.1 Nostrum revolvit orbem.
 2 Cursu furente demens
 3 Fortuna sorte fallax.
 4 Aequis iniqua semper
 5 miscere laeta, coro
 6 ventosior rapaci.
 7 Et ne revolvat orbem
 8 Fortuna saeva nostra
 9 cursu periculoso,
 10 non sufficit quod unum
 11 terrae polum ruenti
 12 Saturnius sacrarit.
 13 Si rector esset alter
 14 Mundi polus labantis,
 15 ut sempiterna caeli
 16 motus vicissitudo
 17 non commovetur umquam,
 18 quod cardinum duorum
 19 sit termino retenta :
 20 sic noster orbis actus
 21 non esset inquieto
 22 scaevi furore casus.

AD MARIAM AVSTRIAM.

C3_33 v.1 Quicumque toga quicumque sago
 2 jura Senatus et bella fovet
 3 nunc tibi cedant, teque stolatam
 4 quocumque putet splendidiorem.
 5 Tu namque potens Palladis arte,

6 tu namque potens Junonis ope,
 7 sanguinis Austri regina decus.

DE FRANCISCO VALESIO.

C3_34 v.1 Rex Gallorum nomine primus
 2 est Franciscus, et non solus
 3 est Franciscus nomine primus,
 4 verum cunctis dotibus animi,
 5 atque decore corporis omni.
 6 Nec Gallorum primus tantum,
 7 sed quoque populi totius orbis.

AD HIPPOLYTVM II. CARD. FERR.

C3_35 v.1 O qui populos suscipis aequos,
 2 qui cuncta foves virtute tua,
 3 o praesidium miseris aequum,
 4 supplice te nunc voce precantem,
 5 jactatam undis per freta iniuste
 6 Cypriam gentem suscipe quaeso,
 7 gloria regis regum Hippolyte.

AD BONIFACIVM RVGERIVM.

C3_36 v.1 Genitus Maia superum fessus
 2 servare volans mandata patris,
 3 tibi, Rugeri, talare sacrat,
 4 quod ferat alis te oratorem
 5 magnum ad reges flaminiae rapido.
 6 Virgamque sacrat, qua modo flectas,
 7 modo reflectas ut placet animos,
 8 et consilio judicioque
 9 aequa ab iniquis dirimas recto.
 10 Omnia reddit te sibi similem.
 11 Et Mercurius jam esses ipse,
 12 nisi Mavortis calcar et ensis
 13 remittens, nec non aurea torques
 14 alio dono te decorassent.
 15 Et nisi gravior diceret aetas,
 16 atque imperio digna patenti
 17 potius formam Jovis esse tuam.

AD BARTHOLOMAEVM MIROLIVM.

C3_37 v.1 Sorte trahebat nomina ab urna
 2 arbiter Idae mox Phlegethontis.
 3 Tu, Miroli, tu sapienter,
 4 et mente tua promere vota
 5 miranda soles, et casta, quibus
 6 cadit aut vincit reus aut auctor,

AD PHILIPPVM VALENTINVM, ET LVDOVICVM CASTELVETRVM.

C3_38 v.1 Quae terra tegit cineres Hirci
 2 magis insignis reddit a vobis,
 3 quam quod teneat cineres Hirci.
 4 Vires lauri geminae certant.
 5 Sed Mars Phoebi vincitur arte.
 6 Ferrum flectit citharae musa.
 7 Cum vos ista servabit humus,
 8 ducis Ausonii nomen obibit.
 9 Ossaque Mutinam vestra notabunt.

DE HERCVLE, ET CORNELIO BENTIVOLIS.

C3_39 v.1 Jactata licet Bentivola domus,
 2 erit ex gravibus servata malis,
 3 credite vati, denique victrix.
 4 Concedit enim pater omnipotens
 5 plectrum Alcidae, Cornelio ensem ;
 6 ut si nequeat blanda camena
 7 carmine docto, gladio horribili
 8 valeat tandem superare hostes
 9 Bellona ferox.

AD GABRIELEM CESANVM ET BERNARDINV M ANETTAM.

C3_40 v.1 Vos Hippolytus sibi conjunxit
 2 teque Cesane teque Manetta
 3 ut consilia de sene sumat,
 4 et mox juveni deferat illa.
 5 Fortunatam principis aulam.
 6 Principis ob quem vestrum eximia
 7 Socratis alter Pythagorae alter
 8 virtute valet.

AD GASPAREM GABRIELIVM, ET GAERIELEM FALOPPIUM.

C3_41 v.1 Tu Gabrieli, et tu Gabriel
 2 natura quibus secreta dedit,
 3 et praecipue lapidum vires
 4 atque herbarum, dicite, quaeso,
 5 si prata ferant aut altae alpes
 6 aut ima freta nonnulla, quibus
 7 Lygida flamma flagret amoris.
 8 Nam si per vos erit accensa,
 9 vos manet alta gloria, major
 10 quam si per vos extincta ardens
 11 vis febris essent, uritur ex qua
 12 mortale genus.

AD DOMINICVM BONDIUM ET RENATVM BRASAVOLUM.

C3_42 v.1 Ibitis ambo per stagna, quibus
 2 Mincius undam porrigit amne,
 3 a Gonzaga patre vocati.
 4 A Gonzaga Hercule magno
 5 patre Senatus, o Roma, tui.
 6 Et ni teneat vos forte aliud,
 7 in Pendassium in Aristotelis
 8 dogmate doctum verba feretis
 9 pondere rerum instructa gravi.
 10 Quae pendentem ac stupefactam
 11 hominum turbam reddere poterunt,
 12 turbam insignem clarorum hominum.

AD NIODLAVM, ET ALEXANDRVM BENDEDEOS.

C3_43 v.1 Bendedeui quod dona Dei
 2 vos ditarint apud Alcidem
 3 atque Hippolytum dotibus animi,
 4 integra testis vita utriusque.
 5 Regia testis (manifesta loquar)
 6 virtus omni maxima studio
 7 celebri digno principis aula.

DE BAPTISTA SARACCHO.

C3_44 v.1 Felix rerum qui valet usu,
 2 et virtutes indicat opere,
 3 sudore suo vitare mala
 4 otia doctus.
 5 Felix mores qui tenet hominum,
 6 hos sejungens optime ab illis,
 7 omnibus idem, omnibus idem
 8 cum probat aequa.
 9 Felix medium qui bene servat,
 10 nec fortuna tollitur alta,
 11 nec deprimitur si jacet ima,
 12 fortis et acer.
 13 Notus talis vix tandem unus.
 14 Quem neque vidit neque visurus
 15 quisquam, talem tempora cernunt
 16 nostra Saracchum.

BELLI DETESTATIO.

C3_45 v.1 Nocte sub alta videre comas
 2 astra sororis sanguinolentas,
 3 tremit Insuber et corde et genibus,
 4 postquam illius percutit aures
 5 tubae et armorum strepitus Celtae
 6 vertere numquam terga scientis.
 7 Saevum ob Mysum lata prementem

8 regna Liburni concusse gemens
 9 tremit aligeri silva Leonis.
 10 Tremet et Melites ora tricornis
 11 classe superbi militis Asiae
 12 Siculi fluctus equitante freta.
 13 Face Tisiphones gelidi torrens
 14 fervet Amasi corde sub alto,
 15 calet insani rabie Martis
 16 potor et Albis, potor et Istri.
 17 Horrida cernens undique bella,
 18 et qua discors Tanais tumido
 19 Caesaris aras irrigat amne.
 20 Et qua cursu rapido medium
 21 flumen ab Afris secat Aethiopas.
 22 Adamantina nil vincula cohident.
 23 Dente tremendo furor abrupit
 24 dura biformis limina Jani.
 25 Acre micanti currit Enyo.
 26 Redditur igni liquidum electrum.
 27 Mixta favillis flamma caminos
 28 superans Aetnae renitente globo
 29 sidera lambit.
 30 Fabricatores aegidos oculis
 31 famuli informes corpora nudi
 32 brachia jactant, et tela gravi
 33 pondere reprimunt : intonat aether
 34 gemitumque refert ictus in antro.
 35 Hinc dum signo rauca cruento
 36 buccina ab imis supera alta ferit,
 37 adglomerantum rapido per agros
 38 excitat ardor pulverem equorum.
 39 Illinc ululanti oreque tremulo
 40 ad quae horrendum tympana retonian,
 41 cursu validum robora juvenum
 42 qua ciunt pedites durata sola.
 43 Horum in pugnas animos acuunt
 44 tot, totque ruunt agmina volucrum
 45 quot saepe petunt prata Caystria.
 46 Vos quoque socii patrios enses
 47 lateri aptatis non sine galea.
 48 Heu vos miseros, eheu galea
 49 nimium molli dura capillo.
 50 Cur ista nitet lorica trilix ?
 51 Ut vestra premat pectora et armos.
 52 Ah procul isthaec inimica nimis
 53 generis nostri naturae hominum.
 54 Velut intensi citharae nervi
 55 laxive modum praeter et aequum,
 56 sonitum ex aura non probe mittunt.
 57 Ipsos pariter spiritus artus
 58 aut torpentes aut agitatos
 59 solita numquam virtute regit.
 60 Igitur socii studio pugnae
 61 tam vos tam eritis sollicitati ?
 62 Nec pede lento vita trahatur.
 63 Semper honesto pulchra labore

64 quaerenda quies.
 65 Interiorem pectoris arcem
 66 concutientes ponite curas,
 67 celeri penna fertur Iapyx ;
 68 ocius ipsi rapimur Cauro.
 69 Dum ergo praeceps urgetur ea,
 70 vitane socii est anne occasus ?
 71 At quamquam atrox qui ferrum acuit
 72 primus in hostes, neque pertimuit
 73 saeva tonantis fulmina patris,
 74 neque stagna Stygis, neque mille gradus
 75 necis horrendae.
 76 Quam quoque mentis lumine captus,
 77 non prospiciens indigna viro
 78 se violenta sumpsisse manu ?
 79 Temere Deus et natura parens
 80 munere mentis bellua ab omni
 81 dentem humanam dissociarunt,
 82 si bellua gerens insana furit.
 83 Non ullum humeri thoraca vocent.
 84 Non tegat ullos pelta lacertos.
 85 Ferae et angues et pisces et aves
 86 pluma, squamis, cortice, corio,
 87 nulla prorsus arte tuentur.
 88 Tegmina sapiens spernit inermis.
 89 Dextera Persae non eget arcu,
 90 neque Tyrrheni pilo, nec amat
 91 jaculum magni dirum Aetoli.
 92 Pedibus, rostro, cornibus, ungue,
 93 denteque nobis non feriendum.
 94 Satis ingenii vis data caelo.
 95 At at ex genitis orbe sub isto
 96 cetera quamvis armata tamen
 97 numquam se aliquo nisi naturae
 98 Proprio impulsa commota petunt.
 99 Non agitatus vulture vultur,
 100 praedam alitibus quaerit in aliis.
 101 Ob victum esca est polypi polypus.
 102 Nos nobis ultro insidiatur.
 103 Est causa levis graviora juvat
 104 proelia causae miscere levi.
 105 Dulcis in ipso funere lacrima.
 106 Sola humanae vis fera gentis,
 107 sola cruaris dira cupido
 108 concitat arma.

FISTVLA PRIMA EX THEOCRITI NVMERIS.

C3_46 v.1 Syrinx quae dulci modularis arundine carmen,
 2 tunc primum Panos miseri tu sola voluptas
 3 cum frustra in calamos versam Syringa vocaret.
 4 Tu mox Cyclopis furias solata sono.
 5 Nequicquam flentis labentem Nereida :
 6 amissumque oculum insidiis Ithacensibus.
 7 Quem jam perdiderat celeri nymphae fuga.

8 Tu pastorum denique grata choro
 9 sacro Arethusae Pieridum sociae.
 10 Suscipe, quaeso, meum nunc spiritum.
 11 Egredientem flumine lassulo,
 12 meque tuo sonitu refice.
 13 Nobis rex et praesidium ;
 14 nobis vita recessit.
 15 Magni natus abest
 16 Amphitryoniadae
 17 sollicitudinibus.
 18 Tumodo tactis,
 19 voce canora
 20 pone modum,
 21 o Syrinx.

FISTVLA SECVNDA EX HORATII NVMERIS.

C3_47 v.1 Fistula ruris amor me carmine Dorico tenebat
 2 cum quondam nemora et pascua regis canerem mei,
 3 placidis luminibus tum tenerae virginis usti.
 4 Lumina quae vacuus lusi Camena rustica,
 5 amara dum contendenter saepe salicta caprae.
 6 Pelleretque ad fluminis umbram pecudes Amyntas.
 7 Nunc mihi terribiles sonitus non sunt argenti
 8 quo facta possim proeliantum dicere.
 9 Nunc ergo domini versiculis meis
 10 celebrari nequeunt arma tremendi.
 11 Meis adhaeret haec cicuta labris,
 12 conversa tandem in lacrimas cicuta.
 13 Ipse rex Regem per acuta saxa,
 14 duras per alpes, castra per horrida
 15 a patria procul urbe secutus.
 16 Hic ego non validus referre
 17 quae Martio campo geruntur,
 18 nobis remotum lugeo
 19 hoc illum tenui sono.
 20 Rheni prata nivosi
 21 ipse negliget ferox
 22 sidere sub gelido.
 23 Hic mea sola mecum
 24 fistula flebit.

FISTVLA TERTIA CATVLLI NVMERIS.

C3_48 v.1 Calami sonum ferentes Siculo leve numero
 2 non pellunt gemitus pectore ab imo nimium graves ;
 3 nec qui strepente sunt ab Aufido revulsi.
 4 Musa quae nemus incolis Sirmionis amoenum,
 5 reddita qua lenis, Lesbia dura fuit ;
 6 me adi recessu principis mei tristem.
 7 Musa deliciae tui Catulli
 8 dulce tristibus his tuum
 9 junge carmen avenis.

IOAN. BAPTISTAE PIGNAE CARMINUM LIBER QVARTVS.

AD ALPHONSVM FERRARIAE PRINCIPEM.

C4_01 v.1 Jam satis a patria retineris, maxime pastor.
 2 Jam viduam patriam respice quaeso tuam.
 3 Hic altare tibi frondenti e caespite pono
 4 ante Padum, rami tegmine sub patulo.
 5 Huc tandem, o Alphonse, veni. Te electrifer amnis,
 6 te in ripa viridi Pinus et ara vocant.

AD HERC. FERR. DVCEM.

C4_02 v.1 Reddidit illustrem Arcadiam cum monstra repressit
 2 Herculis invicti dextera, clava, Leo.
 3 Tu virtute animi populos silvasque tueris.
 4 Est tibi consilium dextera, clava, Leo.

DE ALITE ASTVRE.

C4_03 v.1 Hic jacet astur, aves doctus sibi subdere cunctas,
 2 ut se uni Alcidae subjiciebat hero.
 3 Augustae exemplum fidei invictique vigoris
 4 alite (nec pudeat) disce viator ab hoc.

DE GONZAGA.

C4_04 v.1 Ne Meliboe optes aut aera aut marmora quaeri
 2 ut sis aeterno mortuus in tumulo.
 3 Quo Gonzaga tuum celebravit carmine funus
 4 vives aeterno conditus in tumulo.

DE BEMBO.

C4_05 v.1 Cum flamas animi pandebat carmine Bembus,
 2 pastorum princeps carmine Bembus erat.
 3 Cumque etiam solus cunctis ignota aperiret,
 4 solus pastorum gloria magna fuit,
 5 illum occubentem Arnus, Tibris, et Adria flevit.
 6 Et fletus magni signa notantur adhuc.
 7 Bembe, sonat Tibris, Bembe Arnus, et Adria Bembe,

8 Bembi ingens nomen suscipit Italia.
 9 Dumque fretum hoc refluet, dumque haec duo flumina semper
 10 Bembi altos sonitus audiet Italia.

DE AMASAEO.

C4_06 v.1 Nec Rhodopen tantum, nec te sic Ismare traxit
 2 Threicius vates carmine et arte chelys,
 3 ut nostros Amasaeus agros silvasque sequentes,
 4 dulcia cum placidis solveret ora modis.
 5 Is, postquam occubuit, fuit hoc sub marmore clausus ;
 6 nec tamen huc cessant currere silvae et agri.
 7 Artis amatores linguae studique docendi
 8 huc festinantes accelerate gradum.
 9 Atque super tumulum pastoris spargite vina,
 10 et lac, et versus, et folia, et lacrimas.

DE LILIO.

C4_07 v.1 Albula te tenuit florentem, candide Lili,
 2 et septem colles fronde virente tua.
 3 Mox patriae Eridani ripae cornuque sinistrum
 4 exsultaverunt te redeunte domum,
 5 nunc et si langues extincto flore nitenti
 6 albula nec luget nec pater Eridanus.
 7 Nam licet in prato jaceas, tu maximo odore
 8 spirante ambrosiam flumen utrumque repleas.
 9 Quo mentes hominum pascis, quo spiritus exit
 10 in virtute sacra se decorare avidos.

DE IVLIO FRATRE.

C4_08 v.1 Dum mea se Phrygias jactabat vincere pinus
 2 et super astra virens tollere posse caput,
 3 sensit et iratus subito strepitibus alis
 4 intulit in pinus brachia sese aquilo.
 5 Et mage formosum crescenti ex arbore ramum
 6 parte repercussa fregit iniquus humi.
 7 Dejectas frondes oculis lacrimantibus antro
 8 sub caeco nemorum composuere Deae.
 9 Pan modo quod superest radianti lumine serva.
 10 Et face quod Boreas quae tibi sacra tremat.

AD HIER. RVSCELLIVM.

C4_09 v.1 Incultis indocta notis foedaverat omne
 2 pastorum linguae rustica turba decus ;
 3 nec quisquam poterat dicendi noscere cultum
 4 et rebus veris jungere verba modis ;
 5 cum tu, Ruscelli, sermonem sensaque docto
 6 ordine signasti corticibusque novem.
 7 Ex aliis nova nascuntur moritura repente.

8 Tu victura diu mortua tollis humi.

DE PICCOLOMINEO.

C4_10 v.1 Pectine Romano cecinit noscenda colonis
 2 diversi caeli sidera cuncta Maro.
 3 Haec prius expressit quoque vates carmine Graio
 4 cui puto quod fuerant patria rura Solae.
 5 Nunc vero Etruscus Tusce numerisque soluta
 6 pluribus in foliis pulchrius astra notat.
 7 Illa vetusta nequis fido discernere visu.
 8 Haec possunt oculis menteque picta legi.

AD TASSONVM.

C4_11 v.1 Tu Tassone potens armis, et pace tueri
 2 ingentes agros, et nemora alta simul.
 3 Diceris invictus belli Galeacius arte.
 4 Exutum galea teque Senatus habet.
 5 At quoniam fugiet sine sanguine Martius ardor,
 6 et servata parum non viget alma quies ;
 7 munere utroque vales, etenim tibi, maxime pastor,
 8 nomen Atestinum nobilitatis adest.

AD GALEACIVM.

C4_12 v.1 Egressus silvis hostem invasurus iniquum
 2 si galeam capias Mars galeatus eris.
 3 At posita galea citharam si tangis eburnam,
 4 Actius evadis, Pieridumque decus.
 5 Ne mutiles igitur nomen. Galeactius esto,
 6 ut pateat Musas, armaque juncta tibi.

DE FRANGINO.

C4_13 v.1 Cum Franginus humum nitido findebat aratro,
 2 non erat a sterili gramine pressa seges.
 3 Nunc postquam vobis custos Jove missus ab alto est,
 4 aurea nunc vobis vellera fertis oves.
 5 Quod si pastorum fuerit divusque paterque,
 6 ex saxis etiam roscida mella fluent.

AD RIGHINV M.

7 Qualia caeruleus vates aperibat in undis
 8 per freta Carpathii gurgitis ore sacro,
 9 in silvis, Righine, patris tu arcana supremi
 10 talia promebas per loca magna Deum.
 11 Insula mox illum patria, et divina recepit,
 12 teque domi sancta nunc tenet hortus humo.

DE LEONORA.

C4_14 v.1 Hinc procul a vulgo diffugit, sacraque sacris
 2 virginibus virgo se Leonora dedit,
 3 non illam flectit dum ingentibus imperat arvis
 4 Alcides frater, sed pia sponte manet.
 5 Non illam cultu divisorum purpura magnam,
 6 pectore sed casto se Leonora probat.

DE IANTHE.

C4_15 v.1 Quam mihi connubio stabili conjunxit Ianthin
 2 Musa suam servent numina sancta mihi.
 3 Lux mea luce meae carae dependet Ianthis.
 4 Non vivam vitam ni mea vita trahat.
 5 Carior est oculis, vel siquid carius ipsis
 6 est oculis, etiam carior ipsa mihi.

AD DIANAM.

C4_16 v.1 Magna Jovis suboles Latonae gloria magna,
 2 quae Eurotae lynces per juga Longa fugas.
 3 Cornua vivacis cervi tibi dedicat Acme,
 4 Acme montivagias docta agitare feras.
 5 Tu face quod possit jaculo sic figere damas,
 6 ut sacra saepe tibi talia dona ferat.

AD AVRAS.

C4_17 v.1 Quod mihi sorte datum veluti, quod et ipse fatetur.
 2 Velocem cursu me superasse Trocum,
 3 qui seu per montem seu per plana arva volaret,
 4 palma alias semper tempora vinctus abit.
 5 Hanc vobis jugulo puram Zephyritides agnam.
 6 Has vobis violas offero cum calathis.

DE CANE, ET SVE.

C4_18 v.1 Corsica terribilis cursu ni dentis Aello,
 2 occubuit cum sus, occidit icta sue.
 3 Saucia namque illum ut vidit certe esse peremptum,
 4 exanimam se illum jecit in exanimum.
 5 Nunc cum vis eadem fuerit communis utriusque,
 6 atque eadem cum mors, urna sit una quoque.

DE CATELLA.

C4_19 v.1 Postquam te Glycere rapuit vis improba fati
 2 deliciae perierit Lambra catella tuae.
 3 Ipsa etenim cum sub saxo demissa fuisti,
 4 ad saxum lugens Lambra catella perit,

5 hanc tecum hoc titulo sepelit maestissimus Algon.
 6 Hic quoque vult Glycerem Lambra catella sequi.

DE NAIADE.

C4_20 v.1 Cum sol accessit si aufugit candida Nais,
 2 deficiunt radii luget et omnis ager.
 3 Cum sol aufugit si accessit candida Nais,
 4 deficiunt tenebrae ridet et omnis ager.

DE THYRSI ET NIGELLA.

C4_21 v.1 Constitit et Thyrsim subito dixi esse pudicum.
 2 Constitit et visa est virgo nigella mihi.
 3 Nunc alii qui jam jam alii pueratque puella ;
 4 nam patet incensa haec qualis, et ille sedens.

DE VENERE, ET ADONI.

C4_22 v.1 Dum Venus exstincto flens oscula figit Adoni,
 2 et lacrimis pueri vulnus et ore lavat,
 3 ore oculisque trahit vulnus quo tota perardet,
 4 quod nequit exstingui fletibus aut gemitu.

EX GRAECO.

C4_23 v.1 Dum ne deficiam quaero legere oscula labris :
 2 colligit ore puer deficientem animam.
 3 Dum mox ut redeat quaero rapere oscula labris,
 4 surripit ore puer non redeuntem animam.

AD FAVNVM.

C4_24 v.1 Quo cursum, quo, Faune, animum ? Non marmora stringes.
 2 Sunt niveae nymphae candida membra meae.
 3 Ne tantum properes. Niveae nam candida nymphae
 4 membra meae, propius si furis ipse, fluent.

DE AMPLOO.

C4_25 v.1 Vinitor Amplous cum vites poneret, istas
 2 vitibus adjunxit supplice voce preces :
 3 "Da, Lenaee pater, fructum qui comprobet igne
 4 te natum, atque tibi nomen inesse Bromi."

AD HYELLAM.

C4_26 v.1 Nunc lunae tacito sunt condita cornua caelo.
 2 Et tenebrae Veneris dulcia furta legunt.

3 Nunc matrem fallens somno plumisque sopitam,
 4 huc gressu propero dulcis Hyella veni.
 5 Hic tibi servantur zonae Tyriique cothurni
 6 cymbiaque ex vitro quae tibi ab urbe tuli.
 7 Te moror ad rivum Ligurinae, dulcis Hyella,
 8 fontis in intenso margine stratus humi.
 9 Si venies tenero amplexu dabo basia mille ;
 10 et tali incisum carmine marmor erit :
 11 "O quicumque gregem lymphas deflectis ad istas,
 12 ne tibi turbentur te rogar Amphipolus."
 13 Ipse has propter aquas tulit ultima munera amicae.
 14 Ultima, prima tamen saepe habenda sibi.

DE IOLA.

C4_27 v.1 Cum petit ima caper minus haud ardebat Iolas,
 2 quam qua parte anni Carcinus alta petit.
 3 Non minus ipse animo cura angebatur iniqua
 4 cum surgit quam cum decidit alma dies.
 5 Causa mali tanti numquam pastoribus ullis
 6 nota fuit prorsus, nunc tamen illa patet.
 7 Namque hodie auroram cum sol vexiflet, Iolas
 8 Alpheae Pisae constitit ad fluvium.
 9 Immotusque velut saxum alta rupe repostum,
 10 edidit haec imo pectore semianimis.
 11 O pulchro Cythereae astro demissa Lycori
 12 ut me disperdas lumine saeva tuo.
 13 O me infelicem tandem tua forma Lycori
 14 causa mei interitus et tibi turpis erit.

AD BACCHVM.

C4_28 v.1 Cum Phoebus Phryxi magis aurea vellera reddit,
 2 et cum sub Chelas lumina dicit equis,
 3 has vites (ferrum peteret quod gemma) putavi,
 4 uvaque purpurea de cute tracta fuit.
 5 Mactato tepidus manavit sanguis ab hirco,
 6 junctaque sunt semper rustica liba sacris.
 7 Bacche, tamen semper vites mihi vina negarunt.
 8 Vina bibenda mihi, vina dicanda tibi.
 9 Jam satis implevi sanctis carchesia donis.
 10 Jamque nimis durum fundere inane preces.
 11 Jam satis eduxit frondosa sudor in ulmo.
 12 Jamque nimis durum sordida musta sequi,
 13 pace Lyae tua placet haec arbusta secare,
 14 et totidem ficus ponere vel steriles.
 15 Namque tuo mittunt latici contraria poma,
 16 testanturque nates se penetrasse tuas.

AD PRIAPVM.

C4_29 v.1 Vix caput attollens innixus robore pomi
 2 suspicit unde micat Lucifer Oceano,

3 et palmas terrae tendens utrasque virenti
 4 effundit tremula talia voce Geron.
 5 "Da pater hortorum valido me incumbere pene
 6 conjugis in magnae fertilitatis agrum.
 7 Da ruber hortorum custos viridemque senectam,
 8 membraque queis juvenem me putet esse Lyca.
 9 Nam licet ipso animo vigeat vivace libido
 10 est mihi cum niveis candida barba comis.
 11 Jam virtute tua, promptis jam viribus istis
 12 naturae vitium, Lampsace, vince precor.
 13 Et capias asinum, sacrat quem dextra rudentem
 14 debilis, at multum firma futura cito.
 15 Sic tibi sint pueri semper placidaeque puellae.
 16 Sic cadat ante tuos victima multa focos.

VER.

C4_30 v.1 Solis ab occasu Zephyri spirantibus annis,
 2 lucida summotis nubibus aethra micat.
 3 Solvuntur glacies fugiuntque antra pruinae,
 4 et liquida ripas praeterit unda nive.
 5 Candidior Phoebus nemora alta virentia reddit
 6 atque coloranti lumine pingit humum.
 7 Gaudet amor celeres in nos acuisse sagittas,
 8 et face mortales perdere posse sua,
 9 e stabulis armenta ruunt. Juga florida lustrant.
 10 Dulci olor, et querulo carmine cantat Itys.
 11 Et calamos pastor teneris sub frondibus inflat ;
 12 et quatit alterno gramina nympha pede.

AESTAS.

C4_31 v.1 Dum furit ardenti Procyon vesanus in astro,
 2 per juga, per campos languida cuncta jacent.
 3 Cum grege defesso custos lymphamque nemusque
 4 quaerit ut umbra aestus, et levet amne sitim.
 5 Ventoso dumeta carent tacitura recessu,
 6 et caprae et pueri flumina sicca petunt.
 7 Lygida messori ponit mensasque dapesque.
 8 Et Cereri messor spica serta parat,
 9 sub soliis ales latitat, silet anguis in herba.
 10 Obstrepitante sono sola cicada canit
 11 non Satyri ex antris et agrestia numina Fauni,
 12 non divae silvarum egrediuntur aquis.

AVTVMNVS.

C4_32 v.1 Aequales iterum redierunt lucibus umbrae,
 2 extinctus pluvia non secat arva calor.
 3 Musto crura rubent, agitat nudata lacertos
 4 vite coronatis rustica turba comis.
 5 Hortorum ex agris ingressi saepa coloni,
 6 grata, Priape, tibi munera poma legunt,

7 aura vices variat. Concurrunt Auster et Haedi
 8 nubila saepe dies, saepe serena nitet.
 9 Uberiore queant ut glebas vertere foetu,
 10 sunt quibus est stipulas urere cura leves.
 11 Fenore committant ut terrae semina largo,
 12 sunt quibus assidue sollicitant agri.

HYEMS.

C4_33 v.1 Aurea jam caelo conversi cornua Panos
 2 et liquidae splendent jam Ganymedis aquae
 3 arboribus viduis, viridi tellure sopita,
 4 et nidum et campos garrula linquit avis,
 5 canescunt valles et junctae vallibus alpes,
 6 frigore concreto constitit unda lacu.
 7 Venator gelido percurrent sub Jove lucos
 8 insidiosa fero retia tendit apro.
 9 Tolluntur fluctus Boreae fragor aequora tranat
 10 navita concussa per freta puppe gemit.
 11 Vertuntur turres, sonitu fremit algidus aether.
 12 Ridet amatoris stricta puella suo.

AD LILIVM GREGORIVM GYRALDVVM.

C4_34 v.1 Lili, donec apud dominum tibi vivere nostrum
 2 dant superi, quamvis manibus pedibusque laboras
 3 vixque regit fractos ex morbo spiritus artus,
 4 tu tamen assidue meditaris quae tibi nomen
 5 et vitam poterunt facile praestare perennem.
 6 Nam modo tu celebras vates, modo caelicolas et
 7 Antiquorum omnem historiam sub mente revolvis :
 8 hinc aliqua de re dubii Pyrrhusque Phalethusque
 9 et Portus meritoque vocatus Cynthius atque
 10 Riccius Antimachusque senex et Lollius ad te
 11 accedunt. Nec non aliis te visere gratum.
 12 Atque viri summi tibi scribunt. Undique semper,
 13 me vero dulcis retinent nunc otia ruris,
 14 hic ubi confringit seni cum murmure saxa
 15 Italiae Rhodanus, dum lymphae roscida prata
 16 percurrent liquidis e fontibus emanantes,
 17 hic cum sideribus pulsis et nocte fugata
 18 aureus igniferum caput extulit oceano sol
 19 tum nemora ingredior vitrea circumdata valle,
 20 inter quae volucres ripis et frondibus altis
 21 assuetae tenero demulcent aethera cantu.
 22 Tum juvat alitibus laqueos nunc tendere pictis
 23 nunc tremula captare avidos sub arundine pisces,
 24 mox famuli portant pullos mollesque columbas,
 25 et bene non pressum lac, caseolosque recentes,
 26 et dulces pepones, et dulcia pruna nucesque.
 27 Fronde super viridi, sic victum sumo priusquam
 28 urantur Phoebi radiis ardentibus arva.
 29 At cum herbae languent aestu nimioque calore,
 30 et solae strepitu feriunt arbusta cicadae,

31 arboris antiquae patuli sub tegmine rami
 32 agricolas labris calamos aptare videres,
 33 virginibus mixtos choreas per gramina molles
 34 ducentes, et signa piris infigere, quae mox
 35 sint jaculi celerisque pilae certamina, nec non
 36 sollicitos cursas studio curaque palestrae
 37 pocula miscere et latices et fundere vina.
 38 Post ubi descendunt gratae de montibus umbrae
 39 cornibus adversis luctantur per juga caprae.
 40 Atque boves redeunt inverso vomere fessi
 41 vix pedibus validi, vix languida colla trahentes.
 42 Et stabulis pecudes cogunt atque ubera siccant ;
 43 atque haedos pueri pastos impellere potum
 44 festinant, cursuque premunt dum prata juvenci
 45 et capita invertunt, mugitibus omnia replent
 46 parte autem ex alia pastores oscula figunt
 47 formosae et castae uxori natisque pusillis.
 48 Haec cernens lento gressu peto Mauritianum.
 49 Tectum ingens foveis cinctum cinctumque viretis,
 50 Marmoreis pulchrum signis veterumque figuris,
 51 conspicuumque excelsa turri, ubi fluctus aquarum
 52 sese praecipiti sonitu demittit ad illam.
 53 Huc cum pervenio multum non ipse moror, sed
 54 cena brevis sequitur. Mox postquam cuncta silescunt
 55 nil nisi sant tenebrae, et suadet nox humida somnos.
 56 Quare abeo et stratus pacata mente quiesco.
 57 Vivere quis poterit sine musis et sine rerum
 58 naturae studio vitam bene si colat istam ?
 59 Haec loca struxerunt olim magni Malaguti
 60 nobilibus proavis orti et sic vivere laeti.
 61 Hic Areostus quondam magna poemata scripsit.
 62 Antistes pariter vitam hic Cortesius egit.
 63 Hic igitur moror istorum exempla secutus,
 64 hic contentus agris altas inglorius urbes,
 65 pontificum mensas, regum tecta aurea sperno.
 66 Interea, Lili, quamvis sim rusticus ipse,
 67 vos tamen, o cives, jubeo salvere sodales.

DE ALITE ASTVRE.

C4_35 v.1 Hic Astur potius rostro invadebat adunco
 2 belligeras volucres, quam quod se ferret in hostes
 3 ignavi generis non firmi tendere contra.
 4 Hic idem ex aliis Alciden neverat unum,
 5 unum observarat melius, notamque petebat
 6 Herculeam laevam, sonitu non vocis acutae,
 7 non commotus avis pastu, sed sponte ; quod ullus
 8 non agit aut proprio studio aut virtute magistri :
 9 tantus amor domini, huic tanta insita gloria palmae.
 10 Nunc postquam interiit, grati monumenta laboris
 11 ut pateant, vatum multorum carmine vitam
 12 illius Princeps in postera saecula condit.
 13 Quod cecidit mortale sub hoc requiescere saxo
 14 nunc statuit postquam ipse urbis nova moenia jecit,
 15 inque arcem rediit regalem. Ita munere pulchro

16 materiae illustris recreat mentemque animumque,
 17 et gravibus curis et fessus pondere rerum
 18 quas de pace gerit, toto dum fervet ab orbe
 19 Italianam in medium furor et discordia belli.

DE IVLIO PONT. MAX.

C4_36 v.1 Quis te, sancte pater, Janum non rite vocarit,
 2 si virtus, si forma eadem si facta utriusque
 3 conveniunt ? Illi junxit tria Juppiter ora,
 4 et dedit esse inter terrestria numina regem,
 5 atque vices servare suas, Latioque locavit.
 6 Tu caput et triplicis regni redimitus honore
 7 tuque hominum princeps divum qui sacra ministrant
 8 hic patris aeterni sedem incolis, hic tua rerum
 9 maxima Roma domus quae religione colenda.
 10 Hoc unum differs a Jano : clavibus ille
 11 belli etiam templum reserat, tibi pacis aperta
 12 hostia sunt tantum nostraequae salutis et alti
 13 quem tenet omnipotens superum regnator olympi.
 14 Ergo, sancte pater, si ex te concordia pendet
 15 et si humana quies, irarum frangere fluctus
 16 atque aestus sedare animum et componere lites
 17 dextra perge tua, et mundo succurre labanti.
 18 En viduae matres, en te vis aegra trahentes
 19 membra senes orant ut saltem reddere cures
 20 saeculum quale recens fortunatumque Quirini.

DE CAROLO CAESARE.

C4_37 v.1 Debuit infidis sese sine milite Caesar
 2 credere Germanis ? Hoc tu tam turpe putasti,
 3 quod quos non poterat vel vi vel gente feroci,
 4 vincere consilio posset ? Tu munera demens
 5 nescis militiae, sileas, sic fugit Iulus
 6 Celtarum fines, tectus caligine noctis
 7 effugit iste tamen, nihil hoc, nam sanguine falsam
 8 abluet iste tuo labem dabis improbe poenas.
 9 Et cum te ducet palmas post terga revinctum,
 10 tuque triumphantem spoliis ditaveris hostem
 11 perfide, tunc dices : "Heu nos superare superbos
 12 vidimus invictumque manu ferroque potentem
 13 augustum, quem nos nostro viciste furore
 14 credidimus, dare terga fuga cum finxit inertis.
 15 Discite non captae gentes, felicia signa
 16 ferre coronatas aquilas, rubrosque Leones
 17 horrida nam vobis est cum Jovis alite pugna.
 18 Heu miseri, quid vos in vos accenditis ignem ?
 19 Extrema allaturum ignem certamina vobis
 20 cedite belligerae Romanorumque volucri."

DE HENRICO REGE.

C4_38 v.1 (.)t quam Rex juvenis, pariter quam fortis et acer (lacune
 2 ingentes animos ingentibus indicat ausis typographique)
 3 Henricus, qui prima acie mirabile visu,
 4 vix miles, vix arma manu, vix oppida stringens
 5 tormentis, spolia ampla refert de gente Britanna.
 6 Et nunc exsultans armato Caesare inermis,
 7 Caesare quo nemo est aut vi aut praestantior arte,
 8 cunctando validos procul a se detinet hostes.
 9 Atque ictus validae gentis deludit inanes,
 10 infidique iterum Germani militis iram,
 11 nunc vires servare suas nunc ferre superbos
 12 nititur, adversae fortunae casibus actus.
 13 Mox in defessas aquilas aurata reflectet
 14 lilia, magnanimum heroum oppressura phalanges,
 15 et positura brevi sese super arcibus altis.
 16 Nec mora, continuo convertet Gallica castra
 17 victor in Hesperiam magnam, populosque feroce
 18 quo invicto solet esse animo, non sanguine fuso
 19 compositis armis contundet Marte secundo,
 20 Ausoniae vindex debellatorque rebellum.